IN HOC OPERE CONTENTA.

ANT. MVSAE
DE HERBA VETONICA
LIBER I.

L. APVLEI DE MEDICAMINIBVS HERBARVM
LIBER I.

PER GABRIELEM HVMELBERGIVM RAVENSPVRGENSEM, Archiatrum Isinensem, recogniti & emendati, adiũcto Commentariolo eiusdem.



Eme, Lege, Fruere.
Insunt rara & cognitu non indigna, nec spernenda.

GABRIEL HVMELBERGIVS R. IOACHIMO EGELLIO RAuenspurgensi, Medicinæ Doctori præstantissimo, S. D.



ON VT IN PVBLICVM prodirent, recognouimus & Commētarijs nostris illustrauimus βοτανικοὺς, hoc est, Herbarios ANT. MVSAE & L. APVLEI libros, IOACHIME optime, sed nobisipsis tātum cecinimus, ne otio q̃d succisiuis horis tunc se suggerebat, abuteremur, & bonas horas male collocaremus, animo nostro semper insidente eo quod Aul. Gellio referente apud Ennium in Iphigenia legitur,

Otio qui nescit uti, plus negotij habet,
Quàm quum est negotium in negotio.
Nam cui quid agat institutum est, nullo negotio
Id agit, studet ibi, mentemq; atq; animum delectat suum.
Otioso initio animus nescit quid uelit.
Hoc idem est enim, neq; domi nunc nos, neq; militiæ sumus,
Imus huc, hinc illuc, quum illuc uentum est, ire illinc lubet.
Incerte errat animus: præter propter uitam uiuitur.

Verum longe aliter à nobis tu sentiens, lucubratiuncula nostra uisa & lecta, mox ad æditionem inhortatus es, ut quæ mihi honori, alijs uero utilitati futura esset: quam tamen hucusq; non sine causa distuli, diutiusq; distulissem, nisi scissem hanc sicut & cætera nostra omnia pro animi tui candore syncere abs te approbari; quare huic honestæ exhortationi tuæ nō po

tui non morem gerere. Accipe igitur hæc quantulacunq; tibi nominatim dicata hilaro fronte. Sic enim sub nominis tui auspicio felicius in hominum manus exitura non ambigo. Sub cuius autem potius quàm medici, q̃ huius artis sit gnarus & peritus, quiq; optime de hisce nouerit iudicare, nomine in lucem prodire debeāt, haud facile dixerim: inter quos tu primum obtines locum, ut qui medicæ artis sis peritissimus atq; doctissimus, nulliq; secundus. Quod si alijs ceu tibi hęc nostra placere cognouerimus, dabimus mox & alia non minus placitura. Bene uale. Isinæ, ex museo nostro. Mense Februario. Anno salutis nostræ M. D. XXXVII.

GABRIELIS HVMELBERGII RAVENSPVRGENSIS, MEDICI ad candidum Lectorem PRAEFATIO.



VONIAM *prius impreßi* Antonij Musæ *& Apulei de re herbaria libri humanæ saluti perquàm utiles, plurimis & grauibus quidem illis scatent erroribus, operæpretium duxi illos pro uirili & diligenti nostro studio correctiores & emendatiores iterum, sic hortãtibus doctißimis uiris* Ioachimo Egellio *medicinæ doctore clarißimo, &* V. I. *consultißimo doctore* Iacobo Kræ=lio, *atq; uenerando liberalium artium magistro* D. Chuonrado Friccio, *& alijs quàm plurimis uiris doctis atq; pijs, in publicum dare, adiuncta parua uocabulorum quorundam enarratione. Quod si adhuc quædã minus cor=recta in hac nostra castigatione reperiantur, non tamen ob id nos male de te meritos censebis, optime* Lector, *quum id præstiterimus quod potuimus, & alijs quod superest & meliora præstandi ansam dederimus. Quis enim in tanta librorum corruptione, & præsertim in Græcis nomenclaturis ci=tra* Græcos *characteres, absq; synceriore codice, omnium tam deprauatas corruptelas emendare poßit, nisi* Delio *natatore, quo caremus, coadiuuan te, nõ uideo. Sunt enim omnes quos hucusq; uidere licuit codices quàm ma xime deprauati & mutili, & pluribus in locis adeo uarij, ut satis mirari non poßimus.* Nec nos integrum Apulei librum, *sed multa, nunc quidem nomenclaturas, nunc circa herbarum descriptiones & historiam aliquid illi deesse censemus. Quæcunq; autem restituimus, ea omnia tum ad exem=plariorum nostrorum antiquißimorum fidem, tum ad* Dioscoridis, Plinij *& aliorum authoritatem ac ueritatem ipsam reddidimus: licet, ut ingenue fateamur, alicubi etiã, præsertim circa nomenclaturas, coniecturis tantum usi simus. Quare, candide* Lector, *hæc nostra quantulacunq; boni consule, & de restitutis & emendatis, quæ non pauca sunt, gratias habe.* Nam *quan tis laboribus hæc nobis constiterit restitutio, agnoscet is, ne quid ambitiosius dicam, qui utranq; æditionem simul contulerit.* Nos *quod potuimus dedi=mus: quæ adhuc supersunt, reddant alij, & suppleant quod à nobis omis=sum est, &* gratiam *illis habebimus.* Et *quia hæc satis præfata fuisse potuis=sent, quum tamen sint qui libellum de* Vetonica Apuleio *etiam adscribere conentur, haud abs re de hoc etiam aliqua subiungenda dignum duxi.* Nos

enim eius operis non Apuleium, ut aliqui uolunt, sed Antonium Musam au torem esse credimus, adtestantibus id uenerandæ uetustatis exemplaribus & epistola ipsa qua opus id Marco Agrippæ dedicat: quorum temporibus nondum uixit Apuleius, sed longe post, sub Hadriano & Antonino Pio Cæss. Augg. Fuit autem Antonius hic Musa Cæsaris Augusti medicus, quo autore quum destillationibus iecinore uitiato ad desperationem redactus contrariam & ancipitem rationem medendi necessario subijt, quia calida fomenta non proderãt, frigidis curari coactus est, ut scribit Suetonius Tran quillus. Huic etiam Musæ, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat Cæsar, statuam ære collato iuxta signum Aesculapij statuerunt, eodem Tranquillo testante. Sed de Musa qui medicina contraria graui periculo exemit Augustum, Plinius etiam naturalis historiæ lib. 19. cap. 8. sic scribit, Diuus certe Augustus lactuca conseruatus in ægritudine fertur prudentia Musæ medici, quum priores eam ob religionem minime commanducarent, in tantum recepta cõmendatione, ut seruari etiam in alienos menses eam oxymelite repertum sit. Et lib. 25. cap. 7. eiusdem meminit quum ait, Inuenit & patrum nostrorum ætate rex Iuba, quam appellauit Euphorbiam, medici sui nomine & fratris Musæ. Et iterum, Iidem fratres, inquit, instituerunt à balneis frigida multa, corpora adstringi. Item lib. 30. cap. 3. Musa medicus, ait, quum incidisset in insanabilia ulcera, uiperas edendas dabat, miráq; celeritate persanabat. Denuo meminit eiusdẽ Musæ Scribonius Largus medicus etiam uetustissimus, & quem Galenus summopere commendarit, & pluribus in locis sequutus sit, in libro Compositionum medicinalium Compositione 110. ubi hieræ pieræ, quæ nunc in quotidiano & frequentissimo usu est, compositionem in ipsum referri testatur. Sed hæc satis de Musa, qui præclarum & utile opus hoc de Vetonica M. Agrippæ Cæsaris Augusti genero dedicauit. Quem Agrippam Augustus in Sicilia post naualem uictoriam Ceruleo uexillo donauit, testante Tranquillo. Hic item Agrippa Iuliã atq; Virginem aquas in urbem perduxit: cuius causa Augustus querẽtem de inopia & caritate uini populum, referente Tranquillo, seuerissima coërcuit oratione, satis prouisum à genero suo Agrippa productis pluribus aquis, ne homines sitirent. Sed ne longiores simus, hoc unum tantum de Agrippa adhuc ex Plinij lib. 23. cap. 1. addemus, ubi ait, Non est prætereundum ex eo (scilicet aceto, cuius natura illic describitur) exemplum ingens. Siquidem M. Agrippa supremis suis annis conflictatus graui morbo pedum, quum do

lorem

lorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portentosa scientia, ignorante diuo Augusto, tanti putauit usu pedum sensuq; omni carere, dummodo & dolore illo careret, demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi, euasit. Ex his itaq;, tum tempore quo quisq; uixit, tum epistolis operibus præfixis, satis manifestum est Ant. Musam libri de Vetonica, Apuleium uero alterius de reliquarum herbarum medicaminibus autorem esse. Præterea Musam scriptis aliquid mãdasse quod ad pósteros manarit, satis clare etiam patere potest ex his quæ iam pauló ante Tranquillo & Plinio, Scribonioq; autoribus relata sunt. Vnde enim talia nouissent nisi ex relictis illius monumentis? Et quæ de Vetonica scribit Plinius, ex Musa (si contuleris) mutuasse uidetur, non obstante quod apud Pliniũ in nomenclaturis medicorum per diuersos librorum elenchos ipsius nulla fiat mentio, sed tacitus ipsum prætereat: quod tamen non mirum est de Apuleio, qui multis annis illi succesit. Siquidem in tempora Vespasiani Plinius, in Hadriani uero incidit Apuleius, quem Priscianus etiam in medicinis scripsisse testatur. Fuit autem Apuleius is non alius, ut credimus, quàm Madauræ ciuis, persuadentibus id tum uoculis quibusdam Apuleio non indignis, tum uetustis illis exemplaribus quæ concorditer habent hunc de herbis librum Apulei esse Platonici, quem & Madaurensem esse uolunt: quibus etiam ob uetustatis reuerentiam non spernenda est autoritas. Sed ne prolixior sim iusto, satis superq; dictum sit de disceptatione hac & diuersis librorum autoribus, quos loquentes audire nunc tandem iustum est. Bene uale.

LIBER ANTONII MVSAE
DE HERBA VETONICA.

ANTONIVS MVSA MARCO Agrippæ Salutem.



AESARI AVGVSTO præſtantiſſimo omnium mortalium, ſed & iudicibus ipſius ſcito te proximum eſſe auxilium, quodq́; artis meæ clariſſimum Cæſaris iudicio. Quo præſens ſemper eſſe tecum poſſim, Cõmentarium hunc artis meæ peruenire ad te uolo munuſculum. Ipſe itaq; mereri ante habebis MARCE AGRIPPA opus hoc curæ meæ experimentum ex omnium medicorum ſummorum diſciplinis & uſu ordinatum eo uelut præſentẽ ſemper habere MVSAM tuum. In quo quum propoſuerim mihi medicamina dicere, piaculi genus exiſtimaui tranſire uirtutes & effectus herbæ Vetonicæ, cuius ſalubritas, ut cognoſcas quantis rebus cõueniat, ante poteſtates eius dicendæ ſunt. Neq; enim remedijs tantum aſpici maius eſt quàm quod ſine offenſa ſtomachi proſit. Non guſtus aſperos offerre ægrotantibus quum ſumitur, & ſi adfert, tormenta ſunt mediocri quadam lenitate parata, nec dulcedinis faſtidium, nec acrimonia præſtat offenſam. Itaq; prodeſt ad effectus ſanitatis, non ut aloë uel abſinthium, quorũ non eſt tanti ſentire auxilium, quàm ut amaritudinem ſentias. Vetonica tantum poteſt ut eam laborantes non tantum ſine labore ſumant, ſed etiam libenter. Odore eſt tam amabilis ut ignorantem cogat ſuſpicari herbam utilem corpori. Hæc tantum poteſt effectu ut etiam numero ſeptem & quadraginta morbos remediet, licet fieri poteſt ut omnibus uitijs prodeſſe poſſit, maxime mulierum ad ſalutem apta. Proponendum ergo putaui qualibus ualetudinibus quæ ſubiectæ ſunt, proſit. Hanc autẽ & pauci nouerunt medici, & ſi qui affines ſunt, non totis perſpexerunt uiribus. Sciunt eam eſſe utilem, ſed quibus modis ignorant, quod perinde eſt ac ſi organa hydraulica habeant quibus uti neſciãt. Hæc proloqui non eſt neceſſarium: putaui tantum profectus herbæ Vetonicæ noſcerentur. Hanc autem ſuo tempore colliges, id eſt, menſe Auguſto quum cæteræ herbæ matureſcere incipiunt, cum ſemine & radicibus ſine ferro, eamq́; excuſſa ne terra ei inhæreat, & in umbra arefacias, atq; ita teras cum ſemine & radicibus ſuis, cribro aromatico molliſſime in puluerem redactam: & cum uolueris uti, ſic uteris.

NOMINA

NOMINA HERBAE VETONICAE.



RAECI prioniten, cestron, † pyrinen, adianton, psychotrophō, cosmicen, sideritin, pandionam, thyan rhizan, dyprinion. Prophetæ hieran † corinen, Syri pheriponion, Tusci indicem, Latini uetonicam, iidem serratam, nonnulli rusmarinam. Hæc herba Vetonica nascitur in pratis & montuosis locis, mundis & opacis circa frutices. Animas hominum & corpora custodit, & nocturnas ambulationes à maleficijs & periculis, & loca sancta & busta etiam à uisibus metuendis tuetur & defendit, & omni rei sancta est. Cestron uocatur etiam psychotrophon, siquidē frigidis reperitur in locis, radicibus tenuibus, thyrso tenui ultra cubitū quadrangulo, folijs querci similibus, boni odoris, semine in summitate thyrsi spicato, modo thymbræ. Cuius uirtutes infrà scriptæ sunt.

alias cyroën.

alias botanen.

1 Ad capitis fracturam.

Herba uetonica contusa, & super capitis ictum imposita, uulnus mira celeritate cōglutinat & sanat. Eo quoq; efficacius, si tertio die refectam, hoc est, recentiorem frequentius imposueris donec sanescat. Eius potestas tantam fertur habere utilitatem, ut ossa quoq; fracta ui sua extrahat.

2 Ad dolores oculorum.

Vetonicæ herbæ radices ex aqua ad tertias coquito, & ex ea aqua oculos foueto: ipsa autem folia eius trita supra frontem & oculos imponito.

3 Ad dolores aurium.

Herbæ uetonicæ recentis folia uel per se aut in aqua madefacta perterito, succumq; eorum excipito, deinde adiecta rosa liquida tepefacito, & in aures stillato, lanaq; spissato, mire proficere creditur.

4 Ad caligines oculorum.

Vetonicæ drachmã unam, aquæ calidæ cyathos quatuor ieiunus bibat, deducit ad inferiorem partem eum sanguinem qui caliginem oculorum facit.

5 Ad lachrymosos oculos.

Vetonica manducata aciem oculorum clariorem facit.

6 Ad sanguinem de naribus profluentem.

Herbæ uetonicæ contritæ paululum salis adiicito digitis duobus & pollice medio quantum tolli poterit, & subactum formato rotundulam: quam si naribus inserueris, sanguinem sistet.

7 Ad dolorem dentium.

Herba uetonica ex uino ueteri aut aceto ad tertias decocta & gargarisata, dolorem dentiũ discutit.

8 Ad uomicos & suspiriosos & thoracis dolorem.

Herbæ uetonicæ drachmam unã, & sumptis ex aqua tepida cyathis duobus, bibendum si dederis, iuuat. Idem suspiriosis prodesse creditur.

9 Ad phthisicos & eos qui purulentum reiiciunt.

Vetonicæ drachmas tres in puluerẽ redactas dato cum melle, & glutiat ieiunus cottidie, auxiliatur.

Ad stoma-

10 Ad stomachi dolorem.

Vetonicæ drachmas quatuor dato manducare per triduum, uel in aqua frigida cyathis quatuor dabis bibere, miraberis bonum effectum.

11 Ad iecoris dolorem.

Vetonicæ drachmas quatuor, aquæ calidæ cyathos quatuor da ut bibat per triduum.

12 Ad lienosos.

Herbam uetonicam ex uino decoctam & potui datam, lienosis prodesse, experti adfirmant.

13 Ad renes.

Vetonicæ drachmæ duæ ex mulso cyathis duobus bibentem sanabunt.

14 Ad lateris dolorem.

Vetonicæ drachmas tres ex uino ueteri cyathis tribus, & piperis grana uigintiseptem contrita & calefacta ieiunus bibat, curabitur.

15 Ad lumborum dolorem.

Vetonicę drachmas tres ex uino Amineo cyathis tribus, piperis grana decem & septem contrita & calefacta ieiunus bibat.

16 Ad uentris dolorem.

Herbæ uetonicæ drachmam unam in aqua calida cyathis duobus bibendum da. His autem duntaxat hæc apta erit compositio, quorum non ex cruditate intestina torquentur.

17 Ad aluum concitandam.

Vetonicæ drachmas quatuor, hydromelitos cyathos octo ad bibēdum dato, uentrem præsentaneum mouebit.

18 Ad colum.

Vetonica cum uino austero æque proficit.

19 Ad tussim.

Herbæ uetonicæ uncias duas ex melle accipiat per dies nouem.

20 Ad quotidianas.

Herbæ uetonicæ drachmas duas, arnoglossæ drachmam unam, ex aqua calida cyathis quatuor dato, bibat sub accessione.

21 Ad tertianas.

Vetonicæ & pulegij drachmas singulas, aquæ calidæ cyathos tres sub ipsa accessione dato bibere, sanabitur.

22 Ad quartanas.

Herbæ uetonicæ drachmas tres, mellis Attici unciam unam, aquę calidæ cyathos tres in unum miscebis, & ante accessionem da bibat, mire sanabitur.

23 Ad uesicæ dolorem.

Herbæ uetonicæ drachmas quatuor, apij radicis scrupulos tres. Decoque apij radices in sextario aquę ad medias, quum decoctæ fuerint, tum demum uetonicam permiscebis, & dabis bibere, dolorem in perpetuum sanabit.

24 Ad calculum.

Vetonicæ drachmas tres ex aceto scyllitico, & mellis unciam unam & aquæ calidæ cyathos nouem bibat, confert.

25 Ad hydropicos.

Vetonicæ drachmam unam ex aquæ calidæ cyatho uno da triduo bibere.

26 Ad mulieres quæ partu laborant.

Vetonicæ drachmas duas, aquæ calidæ cyathos quatuor, si cum febre fuerit; sin uero sine febre, mulsi cyathos duos & aquæ calidę cyathos duos da bibere.

27 Ad paralysim.

Vetonica trita et imposita neruos etiam præcisos glutinare & persanare creditur.

28 Ad horrores.

Vetonicę drachmas duas ex aquæ calidæ cyathis duobus, & uini austeri cyathis duobus sub accessione dato bibere.

29 Ad mulieres quibus loci præ frigore uexati sunt.

Vetonicæ drachmas tres ex aquæ calidæ cyathis tribus ieiunæ dato bibere triduo, remedia sentiet.

30 Ad eos qui sanguinem per os reijciunt & purulentos.

Vetonicæ drachmas tres & lactis recentis caprini cyathos tres bibat triduo, & statim sanabitur.

31 Ne fias ebrius.

Vetonicam prius sumas.

32 Ad euersos de uehiculo.

Vetonicæ drachmas tres ex uini ueteris cyathis duobus calefactis bibat.

33 Ad ietericos, id est, morbo regio laborantes, qui sunt auriginosi.

Vetonicã herbam ex uini cyathis tribus frequenter sumptam, proficere didicimus.

34 Ad carbunculum.

Vetonicę drachmam unam, aquæ calidę cyathos

duos bibat. Item uetonica cū axungia trita plagæ imponatur, prodeſt.

35 Qui perfrictionibus laborant.

Vetonicæ unciam ex uino cyathis quatuor bibat triduo.

36 Laſſis ex itinere.

Vetonicæ drachmā unam ex oxymelitos cyathis tribus potui dato.

37 Aegris faſtidientibus cibos.

Vetonicæ drachmas duas ex aquę mulſæ cyathis tribus bibat.

38 Vt facile quis concoquat.

Vetonicæ drachmas tres, mellis unciam unam, aquæ calidæ cyathos duos bibat.

39 Ad eos qui cibum non poſſunt continere.

Vetonicæ drachmas tres, mellis unciam unā con coquito donec indureſcat, & paſtillos ex his facito quatuor, & ex ipſis cum aquæ calidæ cyathis duobus unum per ſingulos dies deglutiat & bibat.

40 Ad ueretri dolorem & tumorem.

Vetonica ex uino trita tumores foueto, ipſamq́ apponito, potenter facit.

41 His qui uenenum ſumpſerunt.

Vetonicæ drachmas tres ex uini cyathis tribus ſtatim dato bibat, & reijciet.

42 Ad ſerpentum morſus.

Vetonicæ drachmas tres in uini cyathis tribus diluito & potui dato, omnium ſerpētium morſus ſanat. Item uetonicæ drachmas ſex in uini nigri cyathis tribus

bus conterito & super uulnus illinito.

43 Ad rabidi canis morsum.

Vetonica contusa morsui imponatur.

44 Ad fistulas.

Vetonica contusa & trita ex hac rotundulas facito, & paululum salis inserito, & fistulam obligato, expurgat & sanat.

45 Ad lumborum dolorem.

Vetonicæ drachmas duas ex mulso potui dato: febricitanti ex aqua calida, lumborum dolores sanare creditur.

46 Ad mulierum purgationes.

Vetonicæ drachma ex uino data purgationes hærentes expellit.

47 Ad podagram.

Vetonicæ radices cum folijs decoctas ad tertias in aqua potui datas: ipsamq́; per se tritam & impositam, mire dolorem lenire experti adfirmant.

Hactenus Antonius Musa.

GABRIELIS HVMELBERGII RAVENSPVRGENSIS, IN LIBELlum Antonij Musæ de herba Vetonica ENARRATIONES.



ETONICAE.) Vetonica herba est nota, satis ab autore descripta, & quotidiani ac laudatissimi nostro tempore cõtra capitis morbos usus, præsertim flosculi ipsius saccharo conditi. Dicta est autẽ Vetonica ab inuentoribus, uti Plinius lib. 25. cap. 8. testatur inquiens, Inuenerũt Vetones in Hispania

eam quæ betonica dicitur in Gallia, in Italia autem serra tula, à Græcis cestron aut psychotrophon, ante cunctas laudatissima. Prioniten.) Prionite Græcis dicta est, quemadmodum Latinis serrata, à serra quæ Grece πρίων dicitur: idq; eo q̃d folia habeat per ambitum serræ modo incisuris diuisa. Cestron.) Cestron uocata est Græcis à uarietate & copia remediorum. Varijs enim & plurimis morbis accommoda est. Pyrinen.) Pyrine dicta est à ui calorifica. πυρινὸς enim Græcis ignitus est. Alterum tamen exemplariorum nostrorum hoc loco non pyrinen, sed cyroen scriptum habet, ut sic dicta sit herba à dominio & autoritate quæ Græcis κῦρος dicitur. Adianton.) Sic appellata uidetur quod folia habeat in extremitatibus incisuris diuisa ceu proprie adianton dictum. Psychotrophi autem causa satis ab autore reddita est. Cosmicen.) Cosmice uocata est ab ornatu & pulchritudine, κόσμον Græcis ornatum uocantibus, quem Latini mundum appellant. Sideritin.) Sideritis dicta est quasi ferraria. σίδηρος enim ferrum est. Habet autem id nominis à proprie dicta sideritide herba, eo q̃d folia habeat illi similia, & similiter per ambitũ incisuris diuisa. Seu quod quemadmodũ illa, sic etiã hæc ipsa uulneribus ferro factis conglutinandis & sanandis sit accõmoda & utilis. Pandionam.) Pandiona uocata est quasi tota iouia, propter uirtutum ipsius excellentiam & maiestatem: quemadmodum etiam thia rhiza, id est, diuina radix dicta est, eadem ratione. Prophetæ.) Prophetæ gentilibus (nam in Christiana religione lõge alij hoc nomine intelliguntur) dicebãtur Magi. Quo nomine & in eadem significatione utitur hic Musa & aliquando Apuleius: hicq; non qui simpliciter futura prædicebant & uaticinabantur uates, sed qui uaticinijs religionem & medicinam miscebant, in quo tota magicæ artis summa olim consistebat. Quæ artium fraudulentissima plurimum in toto terrarum orbe plurimisq; sæculis ualuit, cuiq; ma-

xima

xima fuit autoritas: quandoquidem sola artium, uti Plinius naturalis historię lib. 30. refert, tres alias imperiosissimas humanæ mētis complexa in unam se redegit, quam natam primum è medicina nemo dubitauit, ac specie salutari irrepsisse uelut altiorem sanctioremq́ medicinam, deinde blādissimis desideratissimisq́ promissis addidisse uires religionis, ad quas maxime etiamnum caligat humanū genus. Atq; ut hoc quoq; suggesserit miscuisse artes mathematicas nullo non auido futura de sese sciendi, atq; ea è cœlo uerissime peti credente. Et ex hac disciplina professioneq́ sapiētiæ à potiore uaticiniorum parte magos & prophetas appellat Musa, qui mutatis medicæ materiæ nominibus, religioneq́ aliqua cōsecratis diuinam quandam medicinam tractare uideri uolebant. Hieran corynen.) Hoc est, sacram clauam. κορύνη enim claua dicitur, sic nuncupata propter flores & ex his semina sic in summo caule dispoſita ut clauæ formam ostendant. Sed uide num potius legendum sit, hiera botane, id est sacra herba. Nam Scribonius Largus cōpositione medicinali 150. scribit hieran botanen à Latinis uetonicam dici. Sacra uero dicta est propter usum sacrum: & quia omni rei, ut ait, sancta est. Syri.) Syri Asiæ populi sunt, de quorum prouincijs plura Plinius lib. 5. cap. 12. & 13. Tusci.) Tusci Italiæ populi, de quorum regione Plinius lib. 3. & Strabo lib. 5. Rusmarinam.) Hęc in exemplaribus nostris nulla est appellatio. Potuit autem sic dici quod odorata sit herba ceu rosmarinus. Animas hominū &c.) Nam ut Plinius ait, tantū gloriæ habet, ut domus in qua sata sit tuta existimetᷓ à piaculis omnibus. Nocturnas.) Quia nocturno tempore & in tenebris ambulantibus talia maxime contingere, & se offerre atq; ostentare solent. Maleficijs.) hoc est, iniurijs, & ut seipsum exponens ait, periculis. Loca sancta.) id est, loca sacra & templa deorum religioni consecrata, ubi talia se maxime ostendunt & nobis occursant, quemadmodū etiam circa bu-

sta, id est cæmiteria & loca ubi mortui sepeliuntur, etiam si non usta fuerint cadauera. Olim enim bustum proprie dicebatur locus in quo mortuus combustus ac sepultus erat, nunc uero dicitur sepulchrum quamuis non uratur corpus. Visibus metuendis.) Visus metuendos uocat phantasmata & spectra quæ oculis nostris ad modicũ temporis sese ingerunt, sed neutiquam clare, uti genij faciunt & lemures, & quicquid est nocturnorum terriculamentorum. Semine spicato.) id est, in caule sic dispositо ut spicæ in frugibus formã ostendat. Thymbræ.) Thymbra herba est quæ alio nomine satureia dicitur &
2 cunila: de qua Dioscorides lib. 3. cap. 41. Ad tertias.) hoc est, ut una tertia parte aquę absumpta, duę tertiæ partes adhuc supersint. Foueto.) id est, calefacito. Fouere est res calidas siue siccas siue humidas medendi causa corpori læso adplicare. Et inde fomenta & fotus dicũtur
3 huiusmodi rerum adplicationes. Rosa liquida.) hoc est, ut alterum exemplariorum nostrorum habet, oleo rosaceo. Spissato.) hoc est, obturato & obtegito. Ca-
4 ligines.) Caligo, quæ & caligatio dicitur, est uisus debilitas, nunc ex lippitudine, nunc ex senectute aliáue imbecillitate contingens, autore Celso lib. 6. Drachmam.) Drachma, quæ & denarius dicitur, nummi genus est & ponderis. Pro nummo accipitur apud A. Gellium Atticarum noct. lib. 1. qui, ubi Lais nobile scortum à Demosthene pro re Venerea μυρίας δραχμὰς, i. decẽ mille drachmas poposcit, ait, hoc facit nũmi nostratis (Romani scilicet: erat eñ Romanus Gellius) denariûm decẽ millia. Et in sacris literis apud D. Lucã euãgelij sui ca. 15. ubi ait, Quæ mulier habẽs drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam & euerrit domum & quærit diligẽter donec inueniat eam? Et cum inuenerit conuocat amicas & uicinas dicens, Congratulamini mihi, quia inueni drachmã quam perdideram. Pro pondere uero accipitur apud medicos, estq; octaua pars

2 unciæ,

unciæ, pendẽs ſcrupulos tres. Scrupulus uero tritici uel
hordei quibus pondera nunc metiuntur, grana uiginti,
unde ſexaginta drachmam conſtituunt, quæ, ut Plinius
ait, denarij argentei habet pondus. Sed quia in dictionis
huius orthographia communiter nũc erratur, & paſſim
dragma pro drachma & ſcribitur & legitur, non abs re
fuerit uel obiter diſcrimen eorũ ſubiũgere. De drachma
iam dictum eſt quid ſit. Dragma uero longe aliud ſignifi
cat. Nã ut Heſychius in lexico tradit, Δράγμα, id eſt dra-
gma eſt ὃν περιλαμβάνει τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ ὁ θερίζων, hoc eſt, quã
tum ſiniſtra manu comprehẽdit meſſor, id eſt, faſciculus
ſiue manipulus fœni aut ſegetis. Et Celſus lib. 5. cap. 25.
Manipulus qui manu cõprehendi poteſt. Inuenitur etiã
δρᾶμα, id eſt drama, eſtq́ id, ut idẽ Heſychius ait, ποίημα,
πρᾶξις ἢ λόγος περιέχων ὑπόθεσίν τινα, hoc eſt poëma, actus
aut ſermo rei alicuius argumentũ & materiam quandam
continens & complectens, quales ſunt in ſcænis comœ-
diarum ſeu tragœdiarum actus & fabulæ, reiq́ alicuius
repræſentationes factæ. Cyathos.) Cyathus liqui-
dorũ menſura eſt, & pars duodecima ſextarij, continens
cochlearia octo. Pondere autem, uini quidem, uti ex Afri
cano medico colligitur, qui cum Hippocrate & Latinis
magis conuenit, pendet uncias duas & ſcrupulos octo.
Olei uero unciam unam cum dimidia, hoc eſt, drachmas
duodecim: licet Plinius ſimpliciter cyatho decem tãtum
drachmas tribuat lib. 21. ca. ultimo, ubi ait, Cyathus pen
det per ſe drachmas decem. Mellis autẽ cyathus pendet
uncias duas cum dimidia. Sunt ẽm cuiuſq; materiæ men
ſurarum pondere plurimæ differẽtiæ. Nos nunc in liqui
dis potionibus medicinalibus olei pondere communiter
utimur, & cyathum uncia una cum dimidia, hoc eſt dra
chmis duodecim, pendimus. Rotundulam.) Rotun 6
dulam uocat paſtillum à forma rotũda, quem Græci tro-
chiſcum, Latinis nunc etiam uſitato nomine, uocant, &
magdalides eas quę ſunt ampliores, ut tradit Scribonius

8 Largus. Vomicos.) Vomicos uocat eos qui pulmo-
nis uomica & puſtula, quam Græci phyma dicunt, labo
rant: quæ quomodo in pulmone generetur, docet Hip-
pocrates lib. 1. de morbis. Suſpirioſos.) id eſt, anhe-
los, ægre ſpirãtes, & ſpiritus anguſtia difficultateq́; labo-
rantes, quorum Græci tres differentias faciunt, & alios
aſthmaticos, alios orthopnoicos, alios dyſpnoicos uo-
cant. Aſthmaticos quidem eos, autore Galeno & Paulo
Aegineta, qui ſine febre crebra reſpiratione ueluti à cele-
riore curſu laborãt, & laborioſo conatu cumq́; anguſtia
reſpirantes ſimul quum deſederint ſurgere & quum ſur-
rexerint ſedere coguntur. Orthopnoicos uero eoſdem
quum ſtrangulari timentes ad reſpirationem recta ceruí
ce & recto toto pectore nituntur. Et dyſpnoicos, in qui-
bus ueluti per anguſtias eliſus ſpiritus & anima egredi-
tur. Quod malũ & prioribus & alijs pluribus malis com
mune eſt. Latini omẽs indiſcriminatim & promiſcue an-
helos, ſuſpirioſos, & Græca uoce aſthmaticos & alijs no
9 minibus appellitãt. Phthiſicos.) id eſt, eos qui phthi
ſi laborãt. Phthiſis autem pulmonis exulceratio eſt, quæ
ex pituita à capite deſtillãte oritur, quam febricula ſequi-
tur & frequens tuſſis, pus excreatur, interdũ cruentum
aliquid, autore Celſo. Purulentum.) hoc eſt, res putri
das, & pus, quod Græci πύον dicunt, craſſum & album,
glutinoſumq́;. Vnde & purulentæ excreationes & ſputa
12 dicuntur, quæ Græci ἐμπυήματα uocant. Lienoſos.)
id eſt, ut Græco uocabulo nũc uocam̃us ſpleneticos, qui
bus lien obſtruſo obſeptoq́; in eo atræ bilis excremento
indurauerit. Quos Galenus in diffinitionibus ſuis deſcri-
bens, ſplenicos, id eſt lienoſos eſſe dicit, quibus poſt in-
flammationẽ lien in antiquum non reſtituitur habitum,
13 ſed tumor permanet & duricies. Mulſo.) Mulſum di
citur uinum melle dilutum & confectum, quod antiquis
plurimum in uſu fuit, & meminit Martialis,

Attica nectareum turbatis mella phalernum,

Miſceri

Miſceri decet hoc à Ganimede merum.
Græce οἰνόμελι,id eſt, œnomeli dicitur. Quod quo pacto
conficeretur quondam, docet Dioſcorides lib. 5. cap. 8. &
Palladius lib. 11. in menſe Octobri. Lumborũ.) Lum 15
bi dicũtur pars illa ab cinctura uſq; ad nates, ubi & renes
ſituantur. Vino Amineo.) id eſt, uino optimo quale
eſt Amineum, id eſt Phalernum, à regione ſic uocatum,
quod inter Italica præcipuæ bonitatis laudẽ meruit, præ
ſertim uetuſtũ. Cruditate.) Cruditas dicitur, quan- 16
do cibus in ſtomacho male aut nullatenus concoquitur,
Græci δυσπεψίαν & ἀπεψίαν dicunt. Hydromelitos.) 17
Hydromeli, quod & melicraton dicitur, eſt aqua mulſa,
hoc eſt, potio ex aqua & melle confecta, nunc uulgo me-
donem uocãt. Colum.) Colus ſiue morbus colicus 18
eſt morbus uehemens inteſtini plenioris & craſſi, quod
etiam colon dicitur. Vncias.) Vncia eſt duodecima 19
pars libræ, continens ſtateras binas, quæ pendent dra-
chmas octo. Quotidianas.) ſcilicet febres. Eſt autem 20
febris calida & ſicca paſſio. Nã caloris natiui ad igneum
conuerſio, cuius ſedes eſt cor. In cuius differẽtijs eſt quæ
quotidiana dicitur, ex pituita putri conſiſtens, & ſingulo
quoq; die reuertens & exacerbans infeſtansq;. Arno-
gloſſæ.) id eſt plãtaginis. Sub acceſſione.) id eſt, an
te acceſſionem. Eſt autem acceſſio in febribus quæ & pa-
roxiſmus dicitur, & periodi tempus eſt deterius, hoc eſt,
exacerbationis & afflictionis morbi tẽpus. Periodus ue-
ro ſiue circuitus morbi eſt tempus ex intenſione in mor-
bo & remiſſione conſtitutum. Tertianas.) ſcilicet fe- 21
bres. Eſt autem tertiana febris quæ ex flaua bile conſiſtit,
& alternis diebus infeſtat. Nam uno intermittens die, al-
tero paroxiſmus & afflictio redit. Quartanas.) ſcili- 22
cet febres. Eſt autem febris quartana quæ ex atra bili ſeu
humore melãcholico putri efficitur. Sic dicta quod quar
to die reuertatur & exacerbet infeſtetq;. Nam integro bi-
duo intermittit, & tarde admodum finitur, neminemq;,

ut Celsus testatur, iugulat. Sed si ex ea facta q̃tidiana est,
in malis æger est: quod tamen nisi culpa uel ægri uel cu-
rantis nunquam fit. Mellis Attici.) id est, mellis opti
23 mi, quale est quod fit in regione Attica. Vesicæ.) Ve
sica urinæ receptaculum est, & Græce κύστις dicitur.
Apij.) Apium herba est quam nunc petroselinon uoca
mus. Scrupulos tres.) id est drachmam unam. Scru-
pulus enim tertia pars est drachmæ, continens in se obo
los duos. Sextario.) Sextarius liquidorum mensura
est & sexta pars congij, continens in se cyathos duode-
24 cim. Calculum.) id est, lapidem, qui hominum qui-
busdam diro cruciatu in uesica generatur, Græci hanc
affectionem lithiasin uocant. Aceto scyllitico.) hoc
est, quod ex scylla, quæ bulbi species & bulborum maxi-
ma est, confectum est. De quo Plinius lib. 20. cap. 9. Dio-
scorides libro 5. cap. 17. Columella lib. 13. cap. 34. & Palla-
25 dius in mẽse Iulio cap. 8. Hydropicos.) id est, hydro
pisi & aqua inter cutem laborãtibus. Cuius tres sunt spe
cies. Vna in qua plus humoris continetur, spiritus uero
minus: & hæc ab utris similitudine ascites uocatur. Alte-
ra in qua plus spiritus est, humoris uero minus: & hæc
tympanites dicitur, eo quod summus uenter percussus
sonitum ædit qualem tympana. Et hoc genus ab Hippo
crate hydropisis sicca nũcupatur, teste Galeno. Et in his
duobus generibus cibus in aquam conuertitur, nec in a-
lio differunt quàm in spiritus & aquæ maiore aut mino-
re quantitate. Tertia species est, quæ hyposarcidios, hy-
posarca & anasarca dicitur, quæ solidis partibus in aquæ
naturam resolutis per totum fit corpus, & ab aliquibus
leucophlegmatia etiam, hoc est, alba pituita uocatur. Cæ
terum Hippocrates lib. 4. de uictu acutorum, duo tãtum
aquæ inter cutẽ hydropisisue genera facit, sed ita ut hæc
tria sub ipsis comprehendat. Vnum quidem nũc dictum
hyposarcidion, quod etiam ἀνίατον, id est immedicabile
tradit. Alterum quod ex flatibus constat, & multa, eaq;
bona,

bona,fortuna indiget.Et sub hoc duo priora genera,asci
ten & tympaniam,quia eiusdem naturæ sunt,solum spi-
ritus & aquæ maioris minorisue ratione differentia,cõ-
prehendit.Porrò omnium,ut Celsus tradit, communis
est humoris nimia abundãtia.Et cuiusuis hydropis com
munis genitura est,teste Galeno,ubi sanguificationis of-
ficium intercidit. Initiumq; omnium generum traditur
esse malus corporis habitus,quem Greci κἀχεξίαν uocãt.
Paralysim.) Paralysis est neruorũ resolutio,& mor- 27
bus qui non totum corpus ut apoplexia,sed alteram par
tem tantum,dextrum scilicet aut sinistrum latus,aut ho-
rum alterius partis partem aliquam ceu brachium, ma-
num,crus aut pedem afficit,& læsis neruis ac musculis in
ea parte hominis ex electione motum impedit. Horro 28
res.) Horror in febribus est,uti Galenus libro de diffe-
rentiis febrium secundo tradit, inter rigorem & frigus
medius,rigore quidem minor,frigore uero maior:et tan
to quidem maior frigore quãto minor rigore, æqualiter
absistens extremis utrisq;, & in medio eorum existẽs.Cel
sus lib.3.cap.3.Frigus uoco ubi extremæ partes membro
rum inalgescunt, horrorem ubi totum corpus intremit.
Loci.) Loci muliebres dicũtur mulieris uterus, quẽ 29
uulgo matricem uocant,& à Celso uulua etiam nomina
tur, licet Plinius hanc in reliquis animalibus esse dicat.
Est autem inchoandi hominis domicilium,siue uti Gale
nus describit,ἀγγεῖον κυητήριον,hoc est,uas fœtum conser-
uans. Ictericos.) Icterici dicuntur qui ictero & regio 33
morbo laborant.Est autem icteros,uti Galenus ait,fellis
in extimã cutem suffusio,qua uiridi in luteo colore sum-
ma corporis superficies decoloratur, & alui excrementa
albescunt.Germani hũc morbum *die gälsucht* uocant à co
lore. Dictusq; est icteros ab aue concolore & cognomi-
ne.Vnde Plinius libro 30.cap. Auis icterus uocatur à co-
lore,quæ si spectetur, sanari id malum tradunt, & auem
mori: hanc puto Latine uocari galbulum. Manifestatur

autē maxime in oculis. Celsus lib. 3. cap. 24. Color autem eum morbum detegit maxime oculorū, in quibus quod album esse debet fit luteum: atq; ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodā inalbescit. Et Plinius lib. 26. cap. 13. Morbū regium in oculis præcipue mirari est, tenuitatem illam densitatemq́ tunicularum felle subeunte. Cæterum ubi atra bilis, quod itidem aliquādo fit, per corpus diffunditur, similiter icteros, sed niger cū adiuncto dicitur. Ast regius morbus cur dictus sit, docet nos Celsus, inquiens, Vtendum est lecto etiam, & cōclaui cultiore clauso loco, uti ludis, lasciuia, per quæ mens exhilaretur, ob quæ regius morbus dictus uidet. Dictus est & aurigo Latine à colore & pallore auri quē bilis per
34 uniuersum corpus fusa repræsentat. Carbunculum.) id est, anthracem. Est autem similis ijs quæ usta sunt exulceratio, cui aliquādo febris & horror & inguina super accedunt. Sed de hoc plura Galenus therapeutice lib. 14. cui Paulus Aegineta lib. 4. & Rasis lib. continentis 13. subscribunt. Meminit etiam Plinius lib. 26. & de eodem agit libro medicinæ 5. Celsus. Axungia.) id est, adipe suillo, qui inueteratur: idq́ duobus modis, aut cum sale, aut syncerus, id est, fine sale: tāto utilior, quāto fit uetustior. Cuius usus est ad mollienda, excalfacienda, discutienda, purgandaq́. Antiqui maxime axibus uehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum utebantur, unde nomen axungiæ. Quam & per se medici antiqui maxime probabant renibus detractam, & exemptis uenis aqua cœlesti fricabant crebro, decoquebantq́ fictili nouo sæpius, tum demum adseruantes, autor Plinius lib. 28. cap. 9. Plagæ.) id est, ulceri & loco exulcerato.
35 Perfrictionibus.) id est, algoribus & frigoribus. Frigere eñ algere est & frigore infestari, deriuaturq́, ut uolunt, à Græco uerbo φρύττω, quod est horreo, unde φρίκη
36 horror & frigus dicit. Oxymelitos.) id est, aceti mulsi, cuius confectionem docet Plinius lib. 14. cap. 17. & li. 23. cap.

cap.3. Dioscorides lib.5. cap.14. Item Galenus de Sanitate
tuenda lib. 4. quem sequere. Pastillos.) Pastillus est, 39
qui Græce trochiscus usitato nunc etiam uocabulo dici-
tur, & quem supra rotundulam uocauit. Cuius, autore
Celso lib.5. hæc est ratio. Arida medicamẽta contrita hu-
more non pingui, aut uino uel aceto coquũtur, & rursus
cocta inarescunt. Atq; ubi utendum est, eiusdem generis
humore diluũtur. Veretri.) id est, genitalis membri 40
& pudendi uirilis. Reijciet.) hoc est, uomitu eijciet. 41
Plinius, Vini plusculum si à ieiuno sumatur, deinde reij-
ciatur. Idem, Vernatio utilis erit, si postquam sorpta fue
rit, statim reiectio sequatur. Fistulas.) Fistula est ulcus 44
altum, angustum, callosum, nonnũquam ex abscessu, in-
terdum ex alijs ulcerum generibus ortum habens, & in
omni fere parte corporis fit, habetq; plura genera, lon-
gius & fusius à Cornelio Celso medicinæ lib. 5. tractata.
Ad mulierum purgationes.) id est, ad menstruorum 46
retentionem ciendam & prouocandam. Podagram.) 47
Podagra pedũ morbus est male affectis neruis dolorem
inferens, nunc cum calore, nunc cũ frigore, nuncq; cum
tumore, nunc sine eo.

ENARRATIONVM IN ANT. MVSAM,

FINIS.

LIBER APVLEI PLATONICI DE MEDICAMINIBVS HERBARVM.

L. APVLEIVS PLATONICVS MADAVRENSIS CIVIBVS suis Salutem.



EX PLVRIBVS paucas herbarum uires, & curationes corporis ad fidem ueritatis monumentis publicis tradidi, & succinctius constrinxi, ob stupiditatem uerbosam professionis. Et dicemus medicorum omnes fermè res uendicationes potius esse quàm curas. Hos etiàm homines inertia plerunq; & imperitia enixos certe lucripetas ueros nuncupari, qui etiam à mortuis mercedes expetunt per occasionem, & faciunt reditus dùm tempus curationum extrahunt, puto quia sæuiores ipsis morbis existunt. Proponamus ergo remediorum titulos, quos uel nunc maxime tempus condúcit, ut ciuibus meis, socijs quidē & peregrinis, quibus uexatio acciderit aliqua corporalis; nostra literata scientia, inuitis etiam medicis, profuisse uideatur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ARNOGLOSSAE,

CAPVT I.



RAECI Arnogloſſon, ijdem arnion, ijdem probation, ijdem cynogloſſon, ijdem hepta pleuron, ijdem heptaneuron, ijdem polyneuron, ijdē thyrſion, Prophetæ uero uran ichneumonos, Aegyptij aſchat, Galli tarbidolopion, Hiſpani theſarican, Daci ſimpeax, Punici artiercon uocant, Latini plantaginem latam, ijdem plātaginem maiorem, ijdē ſepteneruam. Naſcitur paludibus plurimum & pratis. Arnogloſſa, quæ & heptapleuros, nomen ſumpſit à ſimilitudine agninæ linguæ. Nam Græci ἄρνον agnum uocant, γλῶσσαν linguam. Rurſum, q̄ ſæpe adnata habeat germina in lōgitudine ſeptem, lateribus ſimilia, Græci heptapleuron uocauerunt. Sed ſunt eius ſpecies duæ. Nam quæ heptapleuros appellatˀ, eſt maior forma, & folijs ornatioribus, & latioribus, & neruoſis. Naſcitˀ in uallibus atq; hortis, necnon & paludibus plurimum & in pratis. Eſtq́; magis conſtrictiua. Alia uero minor atq; nigrior, lenior & tenuior. Naſcitˀ in chartarijs locis, ſed in uſum uarie adhibetur.

Cura 1 Ad capitis dolorem.

Herbæ plantaginis radix in collo ſuſpenſa, capitis dolorem mirifice tollit.

2 Ad uentris dolorem.

Herbæ plantaginis ſuccus tepefactus fomentando uentris dolorem tollit. Et ſi tumores fuerint, tuſa herba & impoſita tollit tumorem.

3 Ad interiorum dolorem.

Herbæ plantaginis ſuccus potui datus, & interiora ſanat, & thoracem hominis purgat mirifice.

4 Ad dyſentericos.

Herbæ plantaginis folia minutatim conſciſa cum lenticula decoques, & dabis ut comedat, ſtatim ſtringet uentrem.

5 Ad eum qui purulenta excreat cum ſanguine.

Herbæ plantaginis ſuccum dabis bibere, & ſanabitur.

6 Ad uulnera.

Herbæ plantaginis ſemen tuſum & in puluerem redactum & in uulnera aſperſum, ſanabit ipſa uulnera. Et loca ea quæ à nimio calore uruntur, ipſa tuſa & impoſita refrigerat & perſanat.

7 Ad morſum ſerpentis.

Herba plantago trita ex uino ſumpta, commodo erit.

8 Ad ſcorpionis ictum.

Plãtaginis radix alligata mire prodeſſe creditur.

9 Ad uentrem ſtringendum.

Herba plantago ex aceto cocta uel mero, bibatur menſura cyathi unius.

10 Ad lumbricos.

Herbam plantaginis contundes, & ſucci eius cochlearium uel ligulam dabis bibere. Ipſam quoq; herbam tuſam umbilico imponito.

11 Si qua duritia fuerit in corpore.

Herba plantago piſata cum axungia ſine ſale, & factum

factũ quasi malagma, imponis id duritiæ, & discutit.

12 Ad quartanas.

Herbæ plantaginis succum in aqua mulsa ante duas horas accessionis potui dato, & miraberis effectum.

13 Ad podagram & omnẽ neruorum dolorem & tumorem.

Herbæ plantaginis folia contusa uel pisata cum modico sale & imposita, optime facere certum est.

14 Ad tertianas.

Herbæ plantaginis radices tres conterito, & sub accessionẽ cum uino aut aqua calida ieiuno da bibat.

15 Ad secundas.

Plantaginis semen contritum, & potui datũ prodesse creditur.

16 Ad uulnera recentia.

Herbam plantaginis contritam cum axungia uetere sine sale impones, mirifice sanabis.

17 Si cui pedes tument ex itinere.

Plantago contusa cum aceto imposita tumorem tollit.

18 Si cui ulcus secus oculum uel nares natum fuerit.

Herbæ plantaginis cõtusæ succo expresso lanam mollem madefactam imponat per dies nouem, & sanus fiet.

19 Ad dysentericos uel torminosos.

Herbæ plantaginis semen tritum pro † polenta in uino calido da bibat, & sanus efficietur. *aliâs pura lente*

20 Ad parotidas.

Plantago cum axungia uetere pisata & imposita sanat.

21 Ad ulcera oris.

Herbæ plantaginis succum in ore detineat, uel folia eius cocta, & radix eius in ore commanducetur.

22 Ad fistulas sanandas.

Herbæ plantaginis succum è folijs tollas, infundatur fistulis & immittatur, facilime medetur eisdem.

23 Ad morsum rabidi canis.

Herba plãtago cõtusa & imposita facilime sanat.

24 Ad omnes uesicæ difficultates.

Herbæ plãtaginis folia uel radices potatæ ex passo fortiter medentur.

GABRIELIS HVMELBERGII RAVENSPVRGENSIS, IN HERbarium Apulei Platonici, COMMENTARII.



QVALIS HERBA sit Plantago, tum uulgo, tum autorũ descriptione satis notum est. Quãtis autem uirtutibus prædita, & quibus morbis medeatur, id etiam tum quotidiani usus experientia, tum autorum testimonio satis compertum est. Et licet uulgaris ac nota sit herba, quia tamen folia eius tantum delineat Apuleius, haud alienum censuimus aliarum etiam partium ipsius formã & effigiem latius & perfectius depingere quàm fecerit ille, præsertim quia (testante Plinio) celebrauit illam Themison medicus tanquam inuẽtor uolumine de ea ædito. Nec dubitamus quin copiosius illam descripserit Apuleius: nam quæ hucusq; uidere

dere licuit exemplaria, non nisi fragmenta quædam esse censemus & non integrum librum: nec dubitamus quin idem & alij nobiscum iudicaturi sint, si librum ab initio ad finem usq; pellegerint. Et adeo inter se uariant exemplaria, ut satis mirari non possimus. Sed historiam ipsius qualis sit, ex Plinio & Dioscoride subscribamus. Itaq; cũ duo sint eius genera, maior & minor, hæc angustiora, nigriora, molliora, tenuiora & maioris leuoris habet folia, caulem angulosum in terram inclinatũ, flores pallescentes, & in summo caule semen. Illa uero crassior est & speciosior, & latiore folio ac oleris figura, caule itidem anguloso, modice rubente, cubitali, & ex medio usq; ad summum cacumen paruo semine uestito, radicibus teneris pilosis, colore candido, crassitudine digitali. Et hæc herbæ plantaginis historia. Dicta est autem Plantago & nomen habet à planta, quæ esse dicitur quod transferendi gratia uel de arboribus rapitur, uel ex semine oritur: & de herbis similiter dicitur, eo quod planas, id est æquales oporteat esse plantas. Præterea maiorem quæ etiã lata cognominatur, ut hoc quoq; addam, Germani à foliorum latitudine, ut putamus, & quod diues ac copiosa circa semitas & uias nascatur, *Breiten wägrych*, minorem uero, quia longior & acuminatior est, *Spitzigen wägrych*, & aliquando ab equinæ costæ similitudine quadã *Rossgripp* nominasse uidentur. Sed de ijs satis. Exponamus nunc Græcorum appellationes & nomenclaturas, nam de reliquis barbaris nulla erit nobis cura. Græci uero dicũtur qui Græciam, quæ & Hellas & Attica dicitur, inhabitant, & Græca, non uulgari, sed literata potius lingua utuntur, sic dicti à rege nomine Græco. Sed de Græcia & prouincijs ac situ eius plura Plinius naturalis historiæ libro 4. cap. 7.

Arnoglosson.) Inter Græcas plantaginis appellationes, quæ à similitudine linguæ pecorũ & ouium illi sunt inditæ, una & præcipua est arnoglossa, hoc est, lingua agnina. Græci nanq; ἄρνον agnum, & γλῶσσαν linguam

dicunt, à cuius similitudine sic appellata est uel Apuleio teste. Quæ ratio etiam fecit ut Arnion quasi adiectiua forma agnina herba uocata sit, & probation quasi ouillea ab oue, quam πρόβατον Græci appellant. Cynoglosson.) id est, linguam caninam. κύων enim Græce canis est, γλῶσσα, uero lingua. Cuius appellationis ratio & causa est, nō quod caninæ linguæ similis sit, sed quia herbæ, quæ cynoglossa proprie dicitur, haud absimilis quodam modo existit, idq́ minor potius q̃ maior. Heptapleuron.) Dicta est heptapleuros à septenario fibrarū, quæ & costæ dicuntur, & in foliorum dorso per longitudinem distinctæ comparēt numero, uti etiam paulò post testatur Apuleius. Nomen autem compositū est ab ἑπτὰ, quod est septem, & πλευρὰ quod latus est & costa. Heptaneuron.) Heptaneuros, hoc est, ut inter Latinas appellationes refertur, septeneruia, à septenario fibrarum, quæ nerui quoq; dicuntur, numero sic appellata, siquidem Græcis νεῦρον idem est quod neruus. Porrò quoniã non semper septem, sed aliquando quinq; tantum, iuxta folij latitudinem fibris distinguūtur folia, & quinq; non minus multa sunt quàm septem: hinc certum relinquentes numerum aliqui à fibrarum, quas neruos uocāt multitudine polyneuron, hoc est, multineruam appellarūt. πολὺ enim Græcis multū significat. Thyrsion.) id est, colicularem herbam, eo quod paruos habet coliculos in quibus & paruum semen profert. θύρσος Græce uirga dicitur & caulis. Porrò habent exemplaria quædam non thyrsion, sed cirsion, quod nomen adquisiuisse potuit, præsertim minor, eo quod foliorum figura non sit dissimilis herbæ cirsio, quæ nunc uulgo buglossa dicitur, licet maior ueræ buglossæ quæ nunc borago dicitur figura potius assimiletur. Prophetæ.) id est, magi, de quibus copiosius dictū est à nobis in enarratione Ant. Musæ. Vran ichneumonos.) id est, caudam ichneumonis. Sic fortè dicta quod coliculis suis caudæ animalis ichneu-

ichneumων dicti sit quodammodo assimilis. οὐρὰ Græcis cauda est. Ichneumon uero Aegypti est animal, magnitudine felis, uulgo nunc murem Indicum uocãt, qui, ut Plinius lib. 8. & Strabo lib. 17. scribunt, & aspida & crocodilum debellat & interimit, solusq; sine cędis periculo aspidis impetum effugit, uti Nicander in Theriacis scribit dicens, ἰχνεύμων δ᾽ ἄρα μοῦνος ἀκηρέος ἀσπίδος ὁρμήν. Aegyptij.) De Aegyptijs & regione illorũ habes Plinium lib. 5. cap. 9. & Strabonem lib. 17. Porrò quæ Apuleius Aegyptijs, ea multi Hebræis aut Arabibus Chaldæisue attribuunt nomina, quod in pluribus sic esse facile credimus. Quum enim modica Aegyptiorũ, Arabum, Iudæorũ Chaldæorumq; sit distantia, unaq; uicinarum regionum cernatur cõtiguitas, ac sæpe mixtos in eodem loco ex ijs populos sit reperire: quid mirum si ipsorũ nomina quoq; sibi inuicem aliquando cesserint? Galli.) Galli nunc notiores sunt, quàm ut multa de ijs dicamus. Qui plura uolet, is Iuliũ Cęsarẽ Gallici belli li. 1. ab initio legat. Hispani.) Hispani ultimi Europæ populi sunt ad occasum siti, pelago, nisi qua Gallias tangunt, cincti. Notiores etiam quàm ut plura de ijs nunc dicantur. Daci.) Daci sunt quos nunc Vualachos dicunt, proximi Getis qui Transyluani uocantur. De quibus Plinius lib. 4. cap. 12. & Strabo lib. 7. Porrò Dacos nostro tempore uocant qui Daniæ regnum inhabitant, & Teutonice Dennmarckt uocatur. Punici.) Punici sunt qui & Pœni & Afri dicuntur, qui semper fœdifragi & perfidi sunt habiti. Vnde & prouerbio factus est locus, q̃ Punica fides appellat̃ fides uana, irrita, perfida & periura. Latini.) A Latio dicti sunt Latini, & inde lĩgua Latina. Latiũ aũt Italię, cuius plures regiões, pars est, ubi Tiberina sunt ostia & Roma terrarũ caput. Sed de hoc plura Strabo geographiæ lib. 5. & Plinius naturalis historiæ libro 3. cap. 5. Cæterum quod in prius impresso codice legitur Romani, nos antiqua uenerandæ uetustatis exemplaria nostra

ſequuti, diximus Latini: nec id refert. Siue enim Latino ſiue Romano Italóue, ut ſolet, nomine utatur Apuleius, eoſdem ſemper intelligit, hoc eſt, eos qui lingua Latina, non quidem uulgari, ſed literata ea utuntur. Chartarijs locis.) hoc eſt, locis paluſtribus, qualibus papyrus, ex qua chartæ fiunt, naſci ſolet. Licet pro chartarijs una mutata & tranſpoſita litera nobis legendum potius uideretur charadrijs, quæ dictio Græca in maiore ſignificationis ambitu eſt, ſoletq́ Apuleius non hic ſolum, ſed alijs in locis etiam Græcis aliquãdo uti nominibus. Sunt autem χαράδραι, id eſt, charadræ Græcis torrẽtes, ſpeluncæ, foſſæ & ualles, in quibus & circa quas cõmuniter naſcitur plantago utraq;. Cæterum nihil immutare hoc loco auſi ſumus, ſed ſuſpicionem & coniecturam noſtram

1 tantum indicare. Cura.) Cura aliquãdo pro ſtudio & diligentia accipitur, aliquãdo uero pro medicinæ operatione, medela, effectu, & uirtute atq; curatione, ceu præ

2 ſenti loco. Ventris.) Venter multifariã accipitur: hic tamen ſolum pro his quæ infra membranam quæ abdomini ſubtenditur, & peritoneon Græce uocatur, continetur, hoc eſt uentriculo, inteſtinis & tota cauitate quæ infra thoracem ſub abdomine eſt. Fomentando.) id eſt, fouendo. Eſt autem fouere ſiue fomẽtare, idem quod calefacere, & calida ſiue humida ſiue ſicca fuerint, medi-

3 camenta corpori læſo applicare. Interiorũ.) Per interiora intelligit Apuleius membra interanea, quæ alio nomine à Latinis exta dicuntur & uiſcera, qualia ſunt cor, pulmo, lien, iecur, uentriculus, inteſtina & quicquid ſub pectore continetur & uentre. Thoracem.) Thorax Græce, Latine pectus dicitur: eſtq́ corporis pars infra gulam incipiens, & ſupra aluum finiens, quod intus homi-

4 ni octonis coſtis munitum eſt. Dyſentericos.) Dyſenterici ſunt quos inteſtinorum difficultas, quæ dyſenteria Græce dicitur, male habet & afficit. Eſt autem dyſenteria inteſtinorũ cum inflammatione exulceratio, in qua cruenta

enta feciue similia excernuntur, torquenturq; dolore al-
uus & intestina, sic dicta ab ἔντερον quod est intestinum,
& à particula δυσ, quæ humani corporis mala designan
tibus dictionibus addita semper ferè difficultatem, dolo
res & tormentum indicat: à quo alui & intestinorum in
fluore affectorũ tormento, Celsus eandem intestinorum
tormina uocat. Lenticula.) Lenticula diminutiuum
est à lente. Est autem leguminis genus notum, sic dictum
ut uolũt, quoniam lenes & moderatos reddat uescentes
ea. Et Plinius ait, Inuenio apud autores æquanimitatem
fieri uescentibus ea. Est illi uis & natura adstringens, qua
& per se sola & cum plãtagine cocta & in cibum sumpta,
aluum sistit, autore Plinio & Dioscoride. Ventrem.)
Ventrem nũc pro aluo accipit qua sordes effluunt & elu-
üntur. Purulenta.) Purulenta uocat res putridas & 5
pus à Græcis πύον dictum, quod à sanie quę iisdem ἴχωρ,
id est ichor dicitur, differens. Sanies enim tenuior est, ua
rie crassa & glutinosa & colorata. Pus uero crassissimum
& albissimum, glutinosiusq; sanie. Vnde & purulentæ
excreationes & sputa dicũtur, quæ Græci ἐμπυήματα uo
cant, præsertim quæ à sanguinis excreatione facto ulcere
neq; ad cicatricem perducto fiunt, de quibus Hippocra-
tes ait, A cruentis sputis purulenta sputa, ab his phthisis,
à phthisi mors. Mero.) Merum dicitur uinum quod 9
sine ulla aquæ admixtione purũ & syncerum est. Cya-
thi unius.) hoc est, pondere unciæ unius cum dimidia.
Sed de cyatho fusius à nobis dictum est in Ant. Musa.
Lumbricos.) Lumbrici à lubricitate dicti sunt uermes 10
uentris, ex genere eorum quæ tota substantia præter na-
turam sunt, quorum omnium causa est materia cruda,
crassa & pituitosa, qualis in pueris colligitur & in proue
ctioribus qui immoderate uiuunt. Quorum tria genera
faciunt Galenus & Paulus Aegineta: licet Hippocrates
& Celsus duo tantum agnoscant. Sunt enim Ascarides
qui tenues & minores in parte maxime inferiore intesti-

ni crassi & longa none generantur, quos Auicenna paruos etiam uocat: & horũ, quod sciam, non meminit Celsus. Sunt deinde rotundi, quos Græci strongilos στρογγύλας, Celsus teretes, Auicẽna longos appellat, qui palmares aut etiam maiores in superioribus & gracilibus magis intestinis consistunt, & aliquando ad uentriculum ascendunt, & per fauces ac os exeunt, & pueros maxime infestant, multoq́ plures in eis generantur quàm ascarides. Tertium autem genus est eorum qui lati uocantur, quos Hippocrates silentio pręterijt, & Auicenna latos & rotundos uocat. Qui rarius generãtur, sed peiores sunt, lati & longissimi, quiq́ sæpe per tota extenduntur intestina, & totius intestini longitudinem æquant, dicti Ciriæ, eo quod assimilentur κειρίαις, hoc est fascijs, institis & zonis, qua ratione etiam ταινίαι tæniæ uocantur: unde facile crediderim mutatis literis, quod factu facile etiam fuit, pro tæniæ dici cœptum esse tineæ. Cæterum hoc genus Paulus Aegineta haud aliud esse dicit quàm mutationẽ adnatæ in interiore intestino membranæ in materiã animalis modo mobilem, quæ sæpenumero tota reddatur longitudine incredibili, aliquando autem pars eius aliqua. Tales tricenum pedum & plurium longitudine aliquãdo uisas tradit Plinius lib. 11. cap. 33. Et nos itidem admirandæ longitudinis in superiore Rhetia Veltkirchij, dum illic ciuium nostrorum archiatrum ageremus, uidimus non semel: primo ex intestinis mulieris, deinde puellæ infantis bis elapsas, & tertio ex mulieris utero siue canali eius, uti constantissima fide adfirmabat, redditas: omnes in se glomeratas. Cochlearium uel ligulam.) Cochlearium à cochlea dictum instrumentum notum concauum, quo ad liquidiores cibos in mensa, & ad usus coquinarios, aliosq́ plurimos utimur. Cui nõ multum dissimilis est ligula instrumentum aliud, sic dictum quod in linguæ speciem sit fabricatũ. Intelligitur etiam utriusq; appellatione mensurę genus, quod (ut Africanus tradit)

mystri

mystri dimidium est, & octaua pars cyathi, pondere pendẽs Vini & similium drachmas duas & scrupulum unũ, Olei drachmam unam & semis, quo pondere cochlearij nunc in liquidis medicinalibus potionibus utimur, Mellis uero drachmas duas & semis. Estq́ mensurarum minima cochlearium, quod proportionem & rationem habet ad cyathum & sextarium eandem quam drachma ad unciam & libram. Pisata.) id est tusa. Pisere enim tun 11
dere est. Vnde pisores & pistores ueteres uocabant. Varro, Nec pisorem ullum nossent, nisi eum qui in pistrino pisèret farinam. Axungia sine sale.) id est, adipe suillo non salito sed syncero. Quasi malagma.) hoc est, ad modum & instar malagmatis. Est autem malagma proprie, ut Celsus medicinæ lib. 5. cap. 17. docet, quod cõstat maxime ex odoribus, eorumq́ etiam surculis, & contusum abunde mollescit. Nam super integram cutem inijci tur. Differtq́ ab emplastro, ut ibidem docet Celsus, quare perperam emplastri nomine uulgo appellatur. Periti cataplasma etiam uocant. Dictum est autem malagma ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, quod subigere est & mollire. Discutit.) Discutere est dissoluere & disijcere. Vnde medicamẽtum discussorium, quod Græci diaphoreticum uocant, quod humorũ crassitudinem discutit atq; dissoluit. Ad quar 12
tanas.) scilicet febres, quæ ex atra bili consistentes, & integro biduo intermittentes, quarto die reuertuntur. Aqua mulsa.) Aqua mulsa (quæ Græce melicraton, & hydromel, uulgo medo, usitatis nunc etiam apud medicos nominibus appellatur) est quæ ex melle & aqua componitur potio. Cuius uarios conficiendi modos docet Dioscorides lib. 5. cap. 9. Columella lib. 12. ca. 12. Palladius in mense Iulio, & Plinius lib. 14. cap. 17. Qui id etiã uinum appellauit, quum tamẽ uini nihil admixtum habeat: cur autem uini appellationem meruerit, ipse rationẽ reddit, quod uetustate saporem uini assequitur. Accessionis.) hoc est, ut usitato Græco uocabulo nunc dicimus, paro-

13 xismi & afflictionis morbi. Podagram.) id est pedum
morbum & dolorem, qui ex influente ad pedes humore
superfluo & eorundē imbecillitate accidit, nunc quidem
cum inflãmatione, nũc uero cum refrigeratione, nuncq;
14 cum tumore, nunc sine eo. Tertianas.) scilicet febres,
quæ ex flaua bile consistentes alternis diebus infestant.
15 Secundas.) Secundæ multitudinis numero dicũtur
pellicula & membrana illa exterior (nam & interior est
alia tum tenuior tum mollior) quæ embryon & fœtum
in utero ambit & obuoluit, quam aliqui fœtus inuolu-
crum uocāt, Græci χόριον, id est chorium, sed id tantum
ante puerperium, dum adhuc in utero cõtinetur fœtus.
Nam postquam æditus est infans, non amplius χόριον,
sed ὑστέρας, id est hysteras uocant, tum membranam hanc
tum omnia ea quæ æditum in lucem infantem statim se-
quuntur hoc nomine intelligētes. Quæ si nascentem fœ-
tum non sequantur, sed intra uterum remaneant, mulie-
rem male torquent, & periculo esse solent, quare ut pro-
deant summopere & solicite studendum est: ad quod iu-
uat plantaginis præsertim minoris semen potum, ut hic
testatur Apuleius, cui & Macer astipulatur de minore in-
quiens, Eius potatum depellit sperma secundas. Dictæ
sunt autem secundæ, quod nascentem infantem sequan-
tur. Nostri temporis medici secundinā uocāt hanc mem
18 branulam. Si cui ulcus &c.) Intelligit fistulam oculo
rum, quam Græci ægylopa uocant. De qua libro 7. inter
oculi uitia Celsus sic scribit, Etiamnum in angulo qui na
ribus propior est, ex aliquo uitio quasi parua fistula ape-
ritur, per quam pituita assidue destillat, ægylopa Græci
uocant, idq; assidue male habet oculum: nonnunquam
etiam exeso osse usq; ad nares penetrat, idq; interdum na
turam carcinomatis habet: ubi intentæ uenæ & recurua
tæ sunt, color pallet, cutis dura est & leui tactu irritatur,
inflammationemq; in eas partes quæ coniūctæ sunt, euo
cat. Hactenus Celsus. Lanam mollem.) Per lanam
mollem

mollem intelligit lanam succidam ex collo & femoribus
pecoris detonsam, quæ mollior & succosior magis lauda
ta est. Nam aspergines & liquores facilius cõbibit, & sor-
dium suarum pinguedine, quæ œsypus est, egregie mol-
lit, & ulceribus accommodatissima est, autore Dioscori-
de. Torminosos.) Torminosi dicuntur qui tormini 19
bus infestantur. Tormina uero sunt quæ Græci strophos
dicunt, suntq; graues, nõ tamen omnes, nec ubiq; in ho-
mine dolores, sed qui circa umbilicum & uentrem, epi-
gastriumq; in aliquot malis hominem torquent & cru-
ciant, & circumagi flectiq; cogunt: nec certum aliquod
morbi genus constituunt, sed alterius comites & acciden
tia sunt, quæ Græci symptomata uocãt, hoc est, quæ mor
bis & affectionibus aliis superaccedũt. Propolenta.)
In diuersis exemplaribus hic duplex habetur scriptura.
Vna quam posuimus. Altera purulento, quæ nullam
hoc loco habet significationem, sed si duabus mutatis li-
teris & diuisa dictione sic, pura lente legatur, tolerari po-
test. Eritq; semper Apulei sensus, ut loco cuiusq; horum,
quę alui fluoribus sistendis accõmoda sunt, & forte tunc
ad idem in communi usu fuerunt, assumatur plantaginis
semen, modo quem præscribit, tanquam uirtutis tum ad
uentrem in iis malis sistẽdum, tum ad dolores leniendos
efficacioris quàm sit uel lens pura & sola, uel polẽta ipsa.
De lente dictum est iam supra curatione quarta. Polenta
uero hordeacea farina est, quæ uariis ad medicinæ usum
condiebatur modis, quos refert Plinius lib. 18. cap. 7.
Parotidas.) Parotides sunt apostemata & abscessus 20
qui secundum aures nascuntur, nomine illis indito, quia
παρὰ τοῖς ὠσὶν, id est prope aures fiunt, de quibus Celsus li
bro 6. cap. 16. Commanducetur.) Commanducare 21
idem est quod manducare, mandere & dentibus contere
re, quod & masticare dicunt. Fistulas.) Fistula est ul- 22
cus altum, angustum, callosum, cuius plura sunt genera,
de quibus copiose Cornelius Celsus lib. 5. Passo.) id 24

est, uino dulci. Vinũ passum quale sit & quomodo olim conficeretur, quoniã nunc non est in usu, satis sit locum ubi ipsius conficiendi doctrina continetur monstrasse. Docet itaq; id Columella rei rusticę lib. 12. cap. 39. Plinius naturalis historiæ lib. 14. cap. 9. & Palladius in mẽse Octobri. Poterimus pro eo aliĳs uinis dulcibus uti.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE PENTAPHYLLI,
CAPVT II.



RAECI Pentaphyllon, aliĳ pentapetes, aliĳ pentagonon, aliĳ pentadactylon, aliĳ pentatomon, aliĳ pseudoselinon, aliĳ callipetalon, aliĳ xylolothon, aliĳ asphaltion, aliĳ pentacænon, aliĳ thymiatitin, Prophetæ ibyos onycha, aliĳ pteron ibyos, aliĳ hermu dactylon, aliĳ hermu botanen, Aegyptĳ orphitebeocen, aliĳ themonestron, aliĳ æthotron, Galli pompedulon, Daci propedula, aliĳ drocila, Itali quinq;folium, aliĳ manum Martis. Nascitur locis pratensibus & cultis ac in undis, gustu aspero, tactu molli, ramis lõgitudine bipalmis, tenuibus, in quibus semina, & folia quæ mentham referũt, singulis sæpius quina, serratim scissa, flore pallido, radice longa & rubra. Leges eam mense Augusto.

1 Ad uitia artuum si percussi fuerint.

Herba quinquefolium tusa cum axungia uetere sine sale & imposita sanabit.

2 Ad uentris dolorem.

Quinq;folĳ succum dabis bibere cochlearia duo, sine mora dolorem tollit.

3 Ad uitia oris, linguæ & gutturis.

Herba

Herba quinq́folium cum radice sua decocta in aqua & ore detẽta mirifice sanat; etiam ubi sumes, tolles & arteria purgat.

4 Ad capitis dolorem.

Herba quinq́folium circumscripta ter, & digito medio & pollice sublata, contrita & capiti illita, efficaciter sanat: peracto remedio, loco puro reponi conuenit.

5 Ad sanguinẽ de naribus fluentem.

Herba quinq́foliũ potata uel illita restringit mire.

6 Ad anginam remedium.

Herbæ quinquefolij succus cyathis tribus potui detur.

7 Ad morsum serpentis.

Herba quinq́folium contrita potui si datur cum uino, mire remediatur.

8 Ad ambustum.

Herbam quinq́folium portatam prodesse, autores plures affirmant.

9 Ad cancrum exiccandum.

Herbam quinq́foliũ cum uino & cum adipe suilla uetere sine sale pisatam de ligno in lignum uino sanè ueteri asperges & sic impones, rem unicam experieris.

10 Ad herpetas & chœradas & om̃es duritias.

Herba quinq́folium aceto decocta & trita & corpori imposita, herpetas & chœradas & om̃es duritias mirifice sanat.

11 Ad pedum dolorem.

Herba quinq;folium trita & cum oleo mixta pedes perunges, tertio die tollit pedum dolorem.

COMMENTARII.



QVAE HERBA sit Pentaphyllon, hoc est, quinquefolium, multis iam annis ignorarunt uel medici ipsi & herbolarij, nedum prophanum uulgus. Qui om̃es ferè pro quinq;folio in hæc usq; tempora perperam & falsò usi sunt communiter herba quadã uulgari quæ in semitis & circa sepes passim nascitur & pes coruinus est, & adhuc sub quinq;folij nomine demonstratur. Neq; etiam eadem est, ut aliqui uolunt, cũ fragaria herba: licet Plinius nat. hist. lib. 25. cap. 9. perperam illas confundat. Fragaria enim, de qua Apuleius etiam separatim infra agit capite 37. non quinis, sed trinis tantum cõstat folijs, quare & triphyllon potius, hoc est, trifolium non male quis appellauerit. Diximus iam quæ herba non sit, dicamus nunc quæ sit. Est igitur, nostro iudicio, non alia quàm quæ modo, fortassis quia intestinorum torminibus medetur radix, tormentilla uocatur à medicis, magni etiam contra pestilitatem effectus si pulueris radicis drachma semis aut integra ex uino albo aut aqua destillationis acetosæ bibatur. Nec obstat quod aliqui tormentillam non quinq;folium, sed illi quàm simillimam esse dicant, nisi quod septem ferè non quinq; habeat folia, quare potius ea sit herba quæ heptaphyllon, id est, septifolium uocetur. Sed ignorãt hi unã & eandem esse herbam que tum pentaphyllon, id est quinq;folium, tum heptaphyllon, id est septifoliũ nominatur, & unius herbæ duas esse factas, non reipsa, sed solo nomine & foliorũ numero distinctas species. Nec contra nos est quod Apuleius etiam diuersis capitibus de ijsdem tanquam diuersis herbis siue unius herbæ diuersis speciebus agit. Mos enim illi est frequens de aliarum aliquot etiam herbarum speciebus agere capitibus diuersis, sicuti & in pro

cessu sæpius patebit. Qualis aũt herba sit, satis docet Apuleius post nomenclaturas illam describens. Nominũ uero quæ à communi foliorũ numero illi sunt indita à Græcis cumprimis est pentaphyllon, quod quidem adeptum est apud illos, quemadmodum quinq; folium apud Latinos, uidelicet à quinario foliorum numero. φύλλον enim Græcis folium, & πέντε quinq; significat, à quo numero & eius nomine, relicto eo quod folium est, sed in locum eius aliis succedentibus nominibus, plures aliæ quoque factæ sunt huic herbæ appellationes, ceu pentapetes, pentagonon, pentadactylon, pentatomon & pentacœnon. Quorũ pẽtapetes nominis sui rationẽ habet, q̊d in quinq; folia se pãdat & extẽdat, à uerbo πετάζειν quod pandere est & extẽdere. Pentagoni uero nominis ratio est, quia quinq; folia tanq̃ in quinq; angulos habet diuisa, quos Græci γωνίας uocant. At pentadactylon appellatum est, eo q̊d sicut in hominis manu quinq; diuisi sunt digiti, ita in hac herba quoq; quinarius separatorum foliorũ uisitur numerus. δάκτυλος enim Græcis est digitus Latinis. Pentatomon deinde dictum est etiam à foliorum forma, tanquam in quinq; partes & folia diuisum. Τόμος enim Græce incisio, sectio, & diuisio dicitur. Præterea pẽtacœnon est appellatum, eo quod sępius & cõmuniter quinq; habeat folia, raroq́; plura, ut tradit Dioscorides lib. 4. inquiẽs, Folia in singulis pediculis habet quina, raroq́; plura. κοινὸς enim idem est quod communis, & κοινῶς communiter. Nisi pentachęnon potius legendum sit à uerbo χαίνειν quod hiare est, eo quod in quinq; folia diuisa hiet & apertum sit. Pseudoselinon.) id est, falsum apium, sic dictũ quod apium mentiatur, idq́; propter sectionum in foliis similitudinem quandam. σέλινον enim à Græcis apium dicitur, & ψεύδειν fallere est atq; mentiri. ψεῦδος mendacium. Callipetalon.) Callipetalon appellata est hæc herba à specie & pulchritudine foliorum. κάλλος enim Græce pulchritudo est. πέταλον folium. Xylolo

thon.) Vide num potius legendum sit xylolopon, qua si lignosum folium. ξύλον enim Græcis lignum est. λόπος uero folium & cartilaginem significat: sicq; dici potuit forsitan propter duritiam quandam cartilagineam, quæ ad tactum sentitur in ipso, licet hic ipse tactu molli esse dicat, non enim adeo molle est ut nulla duritia in eo sentiat, sed ita molle intelligit ut nulla asperitas pungens & duriter afficiēs sentiatur in ipso. Asphaltion.) Sic appellatum est, eo quod radix illi sit rubescens instar bituminis, quod ἄσφαλτος Græce dicitur. Thymiatitin.) Thymiatitis à thymiamate dicta est, eo quod uaporādo suffumigandoq; lustrationibus purgādisq; domibus adhiberetur, ut tradit Plin. & Dioscorides. Thymiama uero, id est, θυμίαμα suffitus est & suffumigium, euaporatio & incensum ex uarijs odoratis & fragrantibus aromatibus simul mixtis compositum, cuiusmodi sunt stactæ, onyx, galbanum & thus: quali etiam hodie ferè utimur, quando celebrioribus festis suauiter spirātibus rebus iniectis thuribulis, ignitos carbones adseruantibus, in phano circūeundo sacras aras fumigamus. Hoc elegantiores Græci θυώματα uocant. Libanius, λιβανωτοῦ καὶ σμύρνης καὶ τῶν ἄλλων θυωμάτων, id est, thuris & myrrhæ & aliorum suffituum. Ibios onycha.) id est, ibidis unguem. ὄνυξ enim unguis est. Sicq; dicta est herba hæc propter foliorum diuisionem instar diuaricationis unguium & digitorū pedum ibidis auis: à cuius auis alis etiā alteram inuenit appellationē, ut ibios pteron, id est ibidis ala sit dicta, eo quod folia in latitudinem expāsa habeat, sicut auis ea in uolatu alas, quas Græci πτερὰ dicunt. Est autem ibis auis Aegypto peculiaris & sacra, magnitudine & forma, ut refert Strabo geographiæ libro 17. ciconiæ persimilis. Colore autem duplex. Nam altera ciconiæ similis est, &, ut Herodotus in 2. tradit, pedes humanis similes habens. Altera nigra tota uehementer est. Hermu dactylon.) id est, Mercurij digitū. Hermes enim Mercurius est deo-

rum

rum nuncius. Dactylus uero digitus. Factumq; nomen hoc est illi, quod radice sit crassitudine digitali, & colore rubro, qualis est cortici radicis herbæ colchici, quæ ephemeri species est, & nunc à medicis hermu dactylus dicitur. Quæ causa etiã fuisse potuit ut hermubotane, id est, Mercurij herba diceretur: botane enĩ herba est. Siue forsitan quod foliorũ forma nonnihil similis sit herbæ Mercuriali, quæ proprie hoc nomine etiam insignitur. Manum Martis.) Manus Martis dicta uidetur à ui & potestate qua uulneribus medetur, eo quod ijsdem sanandis uterentur ea in bello cui Mars præesse dicitur, & pro bello ipso etiam accipitur. Hactenus de nomẽclaturis. In undis.) hoc est, locis aquosis & secus aquarum canales, ut tradit Dioscorides. Quare scripturam hanc in exemplaribus nostris inuentam etiam libẽtius adseruauimus, omissa ea quam recens impressus codex, licet non male, habet, uidelicet mũdis, id est puris. Et quod erat scriptũ, Lacte molli, nos diximus, Tactu molli, quoniam nihil lacti cum herba hoc loco commune, & cuius ratione comparari possint, licet lac etiam molle sit. Mollem autem tactu esse dicit, quoniã, ut cæteri de tormentilla scribunt, folia habet pilosa propter quę mollis dicitur. Bipalmis.) id est, duorum palmorum. Palmus autem est quatuor digitorum humanæ manus, ut sunt coniuncti simul sine pollice, mensura: quę sexies repetita cubitum Romanum constituit, qui ex uiginti & quatuor huiuscemodi digitis conficiebatur. Mentham.) Menthæ etiam comparat Dioscorides folia. Theophrastus tamen lib. 9. de plantarum historia uitis folio comparat. Sed hic fortassis coloris & formæ, illi uero quantitatis tantum, quoniã pusillũ est, comparationem fecerũt. Singulis.) scilicet ramis & pediculis. Sæpius quina.) Per hoc intelligimus herbam hanc aliquando plura quàm quinq;, utpote, septem folia habere, licet id raro contingat, ut tradit Dioscorides. Ex quo etiam colligimus unam & eandem esse

herbam quinq;foliũ, hoc est de quo separatim infra agit
Apuleius heptaphyllon, id est, septifolium, & esse quam
nunc tormentillam uocant. Flore pallido.) id est, au
C. I. roso & auri modo flauescentem atq; pallescentem. Vi-
tia artuum.) id est, membrorum ex percussione dolores
& affectiones. Artus sunt mẽbra & partes corporis pro-
5 prie inter iuncturas connexæ. Tolles.) Tolles sunt,
quæ alio nomine tonsillæ dicuntur, & Celsus glandulas,
Græci antiades & paristhmia, Auicenna uero & medici
recentiores amygdalas uocãt, Serenus etiam tolles. Por-
rò quocũq; nomine appellaueris, Tolles sunt carnes pro
minentes à lateribus hypoglottidis, necnon & malũ par
tes eas infestans, præsertim quum inflammatione tumẽt.
De quibus plura Galenus in expositione libri tertij apho
rismorum Hippocratis. Arteria.) Vtitur dictione ar-
teria genere neutro, quemadmodum de rerum natura li-
bro 4. Lucretius, cuius uersiculi sunt ij,

Præterea radit uox fauces sæpe facitq;
Asperiora foras gradiens arteria clamor.

Sunt autem arteria colli pars anterior, qua spiritum tra-
hunt redduntq; animantia, & ab Apuleio in huius medi
caminis tituli præscriptione alio nomine guttur appella-
tur. Celsus asperam arteriam, Græci tracheam arteriam,
larynga & bronchon uocant. Aliqui uocalem arteriam,
spiritalémue fistulam: nonnulli pulmonis cannam & ani
mæ canalem: multi tandem guttur & gurgulionem ap-
4 pellant. Circumscripta.) Circumscribere est rei ali-
cui lineam quandam circumducere: quemadmodum fa-
cere solent cacodæmonum cõiuratores, qui locum quo
malignum spiritum coniuraturi, linea & circulo circum
ducunt & muniunt, seq; tutos illo reddunt ab omni im-
minenti nocumento: quæ tamen superstitio est quàm ma
xima & sacrosanctæ Christianæ fidei aduersa. Repo-
ni.) Reponere idem est quod recondere. Vergil.

Non illis epulæ nocuere repostæ.

Ad anginam.) Angina ab angẽdo dicta, morbus est 6
colli & inflammatio musculorũ interiorum aut exteriorum gutturis aut faucium, quam spirandi difficultas comitatur. Cuius plures sunt differentiæ Græcis nominibus distinctæ, de quibus latius in sequentibus. Remediatur.) 7
id est, medetur. Vtitur dictione etiam D. Hieronymus in uita Hilarionis & aduersus Iouinianum.
Portatam.) id est, gestatam in loco ambusto cui im- 8
posita fuerit. Sunt tamen qui potatam potius legunt, id est haustam & bibitam. Autores.) Autor dicitur qui opus aliquod facit & scribit: estq; primogenium nomen, non ab alio sed à se natum. Et autor siue auctor scribitur: author nũquam. Cancrum.) Cancer corporis ma- 9
lum est, nunc cum exulceratione, nunc sine ea. Omne ex crassa nigra bile quum deferbuit nascens, & nigro colore liuescens. Fitq; in qualibet corporis parte, oculis, sede, fœminarum locis, mammis, & præcipue in membris fungosis. Sic dictum ab animali aquatico cognomine: idq; aut quia difficilime à membro in quo ortum est, auellatur, quemadmodũ animal etiam tenacius retinet ea quæ apprehenderit: aut quia circa hunc implẽtur, distenduntur & eleuãtur uenæ cancrorũ pedibus similes. Omnisq; cancer non solum id corrũpit quod occupauit, sed etiam serpit: estq; tam malignę naturę, ut mitiora remedia asper netur, asperioribus uero irritetur. Herpetas.) Herpe 10
tes dicũtur ulcera quæ à flaua bile in aliquam partem abscedente fiunt, & serpunt: sic dicta ἀπὸ τοῦ ἕρπειν, quod est serpere. Nam quoties cum exulceratione est (non enim semper ulcus est, ut tradit Galenus Therapeuticæ lib 2.) non utiq; seruata ueteri sede, uicinas partes depascit: sed sicuti nomen ipsum indicat, ritu serpentis bestiæ relicto priore loco transit ad alterum. Suntq; duo ipsius genera, ut tradit Paulus Aegineta. Nam est herpes miliaris à similitudine sic dictus, quod milij seminibus similes exiguas pustulas in superficie cutis excitet. Alter est corrodens,

qui totam usq; ad subiectam carnem exulcerat cutem: & hic cōcretione sua crassior & maiore acrimonia est: prior uero tenuis, minoreq; acrimonia & calore. Nam si Oribasio credimus, huius flauæ bili nonnihil pituitę commiscetur. Chœradas.) Chœrades, id est χοιράδες sunt durati adenes circa collū, alas & inguina præcipue concreti & surgentes, à suibus qui χοῖροι Græcis dicuntur, sic appellati, quod illis frequentes circa collum inueniātur. Galenus sic definit: Chœras est caro sicca & quæ difficulter disĳcitur. Plinius & Celsus strumas uocant. Multi à scrophis quæ sues sunt, scrophas & scrophulas. Absyrtus in Veterinaria medicina eas in iumentis glādulas uocari dicit.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE HIERAS BOTANES,
CAPVT III.



GRAECI Hieran botanen, ĳdem peristereona hyption, ĳdem dios elacaten, ĳdem panchromon, ĳdem colletin, ĳdem aristereon, ĳdem cyparisson, ĳdem demetrian, Asclepios alcean, Aegyptĳ pemphthemphtham, Prophetę erysisceptron, alĳ heras dacryon, Latini uerbenacā, ĳdem liciniā, ĳdem lustraginem, ĳdem columbinam supinam, ĳdem militarem, ĳdem uertipedium, ĳdem cristam gallinaceam. Græci rursum trigonion, ĳdem chamælygon, ĳdem sideritin, ĳdē curitin, ĳdem phersephonion. Nascitur ubiq; in planis & aquosis locis, folĳs subalbidis & uelut incisis, radice simplici atque thyrso, uirtute redarguenti, quam stypticen uocant, & quæ uulnera conglutinet, atq; putredines abstergat. Est autem columbis esca iucunda.

1 Ad ſtrumas.

Herbæ uerbenacæ radix in collo ligata, ſumme proficit.

2 Ad ulcera & parotidas.

Verbenaca tuſa & impoſita mirifice ſanat.

2 Ad eos qui induratas uenas habēt, & cibos non recipiunt.

Herbæ uerbenacæ ſuccum mixtū cum uino, melle & aqua, & poſtea coctū, des bibere, & ſtatim ſanat.

4 Ad hepatis dolorem.

Herba uerbenaca ſolſtitio lecta, & in puluerē redacta, & potui ſumpta, mire proficere creditur: robuſto autē cochlearia quinq; ex uino quàm optimo cyathis tribus, & cæteris pro cuiuſq; uiribus ſic dabis.

5 Ad calculoſos.

Herbæ uerbenacæ radix contuſa ex mulſo optimo tepido data, incredibiliter calculoſis ſuccurrit: nec ſolū ipſis calculoſis, ſed & quicquid eſt quod urinam impedit, celeriter educit.

6 Ad capitis dolorem.

Herbæ uerbenacæ corona facta & capiti impoſita, dolorem capitis tollit.

7 Ad ſerpentium morſus.

Herbam uerbenacam cum folijs ſuis & radicibus quiſquis offultam cinctamq; ſecum portauerit, ab omnibus ſerpentibus tutus erit.

8 Ad morſum araneorum, quos Græci phalangia uocant.

Herbæ uerbenacæ ramulos ex uino decoquito et conterito, deinde quod acetauerit plagæ imponito, et

adaperiet; poſtea crudam contritam cum melle in ul-cus audacter inſertam mature ad ſanitatem perduce-re certus autor adfirmat.

9 Ad morſum rabidi canis & hy-drophobon.

Herbam uerbenacam in uulnus apponito, tritici quoq; grana integra indito uulneri donec humore re mollita expleant, iam tumida, proijcito illa gallinæ, ſi nō appetit, ſimili modo alia grana proijcito, ſi ſic eſſe cœperit, periculi ſublati ſignum erit.

10 Ad uulnera recentia.

Herba uerbenaca contrita cum butyro uulneri imponatur.

11 Ad morſum ſerpentis.

Herbæ uerbenacæ ramuli ex uino decocti & con triti, ſi cæca erit plaga cum tumore, impoſiti adaperi-unt primū, exulcerant deinde, poſtea crudi cum mel-le contriti & ulceri inſerti donec ad ſanitatem, quod celeriter fit, perducant, imponuntur.

12 Ad ictericos.

Herbæ uerbenacæ drachma una & nardi oboli tres, laccæ crudæ foliorum expreſſus ſuccus & paulu lum myrrhæ cōtritæ ex aqua cyathis tribus potui da-ta, expellere morbum creditur.

COMMENTARII.



ERBENACAE, quæ & ultima detracta ſyllaba nunc communiter uerbena dicitur, hiſtoriam ſatis ſuccincte tradit Apuleius, quare copioſius de illa dicendum, præſertim quia nulla, ut Pli-nius lib. 25. cap. 9. teſtatur, Romanę nobilitatis plus habet quàm hiera botane, aliqui periſtereon, noſtri uerbenacā uocant.

uocant. Hæc est quã legatos ferre ad hostes indicauimus. Hac Iouis mensa uerritur, domus purgantur, lustranturq́;. Sunt autem duo ipsius genera, quæ Plinius à sexu, Græci & hos sequutus Apuleius à plantæ habitu discreuerunt. Plinius loco iam dicto, Genera eius, inquit, duo sunt. Foliosa quam fœminam putant: mas rarioribus foliis. Ramuli utriusq; plures, tenues, cubitales, angulosi. Folia minora quàm quercus angustioraq́;, diuisuris maioribus, colos glaucus, radix longa, tenuis. Nascitur ubiq; in planis, aquosis. Quidam non distinguunt, sed unum omnino genus faciũt, quoniam utraq; eosdem effectus habeat. Hæc ille. Dioscorides & Apuleius à plantæ habitu illa in rectam & supinam diuidentes, de iisdem diuersis capitibus agunt, qui mos & circa alias herbas non infrequens est Apuleio. Præsenti igitur capite sub hieras botanes & uerbenacæ nomine de supina cognominatã agit, de ea uero quę recta cognominat, agit infra cap. 65. sub nomine peristerei. Cæterũ quod nominis rationem concernit, uerbenaca dicta est quod sola & per se uerbenas faceret. Siquidem tradente Plinio lib. 22. cap. 2. ab hac una autores imperii Romani conditoresq́; immensum quiddam sumpsere, quoniam non aliunde sagmina in remediis publicis & in sacris legationibus uerbenæ quàm ex hac fuere: qua coronati semper legati ad hostes clarigatum, id est, res raptas clare repetitum mitterentur. Præterea quæ illi adiecta sunt specierum discrimina, supina & recta, hanc rationem habent. Siquidem supina dicitur quod humilioribus & deiectis in terram ramulis quasi iacet: & hæc flores habet purpureos tenuesq́;. Recta uero quod recto caule riget, & hæc flores habet luteos.

Hieras botanes.) id est, sacræ herbæ, sic uocatę quod felicem habeat usum in lustrationibus suspensa, alligatáue, autore Dioscoride. Peristereona hyption.) hoc est, columbinam supinam. ὕπτιος enim Græce idem est quod supinus Latine. περιστερὰ uero columba uocatur: à

qua tum apud Latinos tum apud Grecos nomen adepta est, eo quod, uti Apuleius ait, colūbis esca sit admodū iucunda & familiaris: seu, ut Dioscorides dicit, quod colūbæ libenter inter eam uersentur. Plinius id nec ad cibum nec ad cōuersationem refert, sed simpliciter columbis familiarem esse dicit, ideoq; nomen id indeptā. Verba eius sunt hec, Peristereos uocatur caule alto foliato cacumine in alios caules se spargens, columbis admodum familiaris, unde & nomen. Dios elacaten.) hoc est, Iouis colum. Nam διὸς idem est quod Iouis, & ἠλακάτη colus dicitur. Vocata est autem hoc nomine uerbenaca, ut nobis uidetur, quod ea Iouis mēsa ad sacrificium & epulas uerrebatur & purgabatur. Panchromon.) Sic appellata est quasi tota speciosa & nitida. πὰν enim Græcis omne & totum significat. χρῶμα uero eisdem color est & nitor. Colletin.) Colletis dicitur quasi cōglutinatrix, ab effectu, quia uulnerū sit cōglutinatiua, à uerbo κολλάω quod est conglutino. Aristereon.) Aristereon appellata est quasi glutinata uulnera firmans ac solidans, à uerbo στερεόω quod est firmo ac solido, & à dictione ἀρι: quæ quamuis per se nihil significet, in compositione tamen alijs dictionibus addita, illis augmentum addit & ualde significat. Cyparisson.) Cyparissos dicta est, quod folia illi sint per ambitum secta, quemadmodum in cyparisso. Demetrian.) hoc est, Cerealem. δημήτηρ, id est demeter, enim Ceres est, à qua & nomen inuenit, quod ut Ceres inuento frumento & traditis legibus homines feros cicurauit & mitiores ciuilioresq; reddidit: ita, ceu magorum uanitas perhibet & Plinius refert, hac perunctos amicitias conciliare, nulliq; non morbo mederi, & si aqua eius spargatur in triclinium lætiores conuiuas fieri, creditum sit. Siue quod in agro iuxta fruges quas Ceres inuenit, & pro illarum dea habita est, lubens etiam ac frequēs nascatur. Asclepios.) id est, Aesculapius, qui uetustissimus medicinæ autor, quoniam adhuc rudem & uulga-

uulgarem hanc sciẽtiam paulò subtilius excoluit, in deorum numerũ receptus est, ut scribit Celsus. Traditur autem, ceu Diodorus Siculus antiquæ historiæ lib. 5. refert, Apollinis Coronidisq́ꝫ fuisse filius. Qui natura, ingenio præclarus, medicinæ opera impensa, plurima ualetudini hominum utilia adinuenit. Adeo autem peritia artis excelluit, ut quàmplurimos desperantes sanitatem liberaret à morbo: proptereaq́ꝫ creditus sit nõnullis defunctis uitam restituisse. Et de eodem iterũ idem Diodorus lib. 6. ait, Aesculapius ex Apolline atqꝫ Ariadna ortus, pluribus à patre in medicina perceptis, chirurgiam & medelarum compositionẽ, radicum insuper uirtutes adinuenit, adeo autem medicinæ artem extulit, ut uelut eius inuentor & autor ueneraretur. Hæc ille. Alcean.) id est, medicam & contra morborum iniurias ualidam & efficacem auxiliatricem. ἀλκή enim uis est & efficacia, auxilium & remedium: unde & hæc herba præ alijs nomen hoc inuenit. Erysisceptron.) Erysisceptron appellata est uerbenaca à calathis & uirgis. Nam Græci ἔρυσον calathum uocant & sportam. σκῆπτρον uero sceptrum & uirgam. Sicq́ꝫ dicta est, eo quod caulis & uirgæ ipsius uirides lẽtore suo in calathos, sportas, tegetes, & id genus alia texi & in nexus circumagi possint, quemadmodũ & cyperus & aspalatus (quibus erysisceptri nomen etiam commune & peculiare est) & tiliæ & utilia alia texendis calathis & corbibus fiscellisq́ꝫ sunt idonea. Quę ratio etiam fecit ut licinia dicta sit Latinis, à uerbo licio, quod est implico, uel à nomine licium, quod est filum quo textrices stamen in tela implicãt. Nisi Lucinia legere quis maluerit, eo quod oculorum luci & uisui prosit, à Lucina quę Iuno est. Heras dacryon.) id est, Iunonis lachrymam. ἥρα, id est hera, enim Iuno dicitur. δάκρυον uero lachryma est: sicq́ꝫ fortassis dici potuit quod oculos & uisum iuuet, illorũq́ꝫ illachrymationibus destillationibusq́ꝫ profit. Iuno eñ à iuuando dicta est, & quia oculis luciq́ꝫ præest, Lucina uo-

cata eſt. Luſtraginem.) Luſtrago dicta eſt, quod luſtrationibus adhiberet. Nam, quod Plinius teſtatur, hac domus purgabantur luſtrabanturq́. Luſtrare autem expiare & purgare & purificare eſt, ſic dictum à luendo, id eſt ſoluendo & liberãdo. Et inde luſtratio, id eſt expiatio, purgatio, ſolutio & liberatio purificatioq́. Militarẽ.) Militaris uocata eſt quod feciales ad hoſtes clarigatum & bellum indicendum miſſi uterentur ea. Siue quod herbæ Achilleæ, quæ militaris etiam appellatur, foliorum forma ſit aliquo modo ſimilis. Vertipedium.) Vertipedium dicta eſt, quod uirgis eius domus & pauimenta uerterentur purgarenturq́. Vertere enim trahere eſt & mundare, quod ſordes trahendo mundẽtur. Pedum uero paſtoralis baculus & uirga eſt. Criſtam gallinaceam.) Criſta gallinacea eſt nuncupata, quod folia illi ſint ſerrata & inciſuris diuiſa, ceu criſtatus galli apex. Trygonion.) id eſt, turturinam, quaſi columbinam, à turture, quæ Græce τρυγὼν dicit, è genere colũbino. Sic dicta herba eadẽ ratione qua periſtereos & colũbina, utpote quod turtures ſicut & columbæ libenter inter eam uerſentur, aut ipſa ueſcantur. Chamælygon.) Chamælygos, id eſt, humile uimen. χαμαὶ enĩ humile & humi depreſſum, λύγος uero uimen ſignificat. Sic autem dicta eſt à caulis & uirgarũ ramulorumq́ in terram deiectione, & eorundem ad ligandum aptitudine, de qua in eryſiſceptri nomine iam dictum eſt. Sideritin.) id eſt ferrariam. Dicta eſt aũt ſideritis à foliorum forma & ſimilitudine quadam cum herba ſideritide, cui peculiare et proprium hoc nomen eſt. Siue à ferro, quod Græcis σίδηρος eſt, quod glutinandis uulneribus ferro factis in bello uſum præberet. Teutonice à ferro etiam *yſenkrut*, quaſi ferraria nuncupatur. Curitin.) Curitis appellata eſt quaſi haſtaris ab haſta, quæ Sabinorum lingua curis uocatur. Nomen autem inuenit ab eo quod quemadmodum olim haſta, quam ſceptrum Græci dixerunt, regĳ faſtigĳ inſigne dia-

dematis

dematis loco fuit: sic etiam herba hæc, quæ multum laudis ac plurimum Romanæ nobilitatis habuit, & qua semper legati ad hostes missi coronabantur & ornabantur.
Phersephonion.) Dicta est phersephonion ab inferno numine Proserpina, quę Græce Phersephone dicitur. Nominis autem causa est, quod contra ipsius ueneficiorum maleficia uim habeat & amuletum fit. Credebatur eñ antiquitus Phersephone pueris et alijs ueneficijs suis nocere. Hactenus de nomẽclaturis. Thyrso simplici.) id est, caule singulari & unico. Virtute redarguẽti quã stypticen.) Apuleius Latinam dictionem tanquam minus notam, per Græcam ceu notiorem interpretatur, ut quæ tunc temporis sicuti hodie quoq; tanquã nota à Latinis medicis recepta fuerit & usurpata. Est autẽ στυπτικὸν, id est stypticon, Græcis, quod Latinis austerum, adstringens, & ut hic ait, redarguens, à uerbo στύφω quod est obturo & adstringo. Strumas.) Struma, ut Celsus tra- C. 1.
dit, est tumor in quo subter concreta quædam ex pure & sanguine quasi glandulæ oriuntur. Nascuntur maxime in ceruice, sed & in alis & inguinib. & in lateribus. Ad 3
eos qui induratas uenas habent &c.) hoc est, ad eos q̃s Plinius cibum non sentientes, Græci ἀτρόφους uocant, & malum ipsum ἀτροφίαν, quod fit ubi corpora & uenæ ac alimenti uasa & conceptacula calore aut frigore desiccantur & torrefiunt, adeo ut contrahantur & indurẽtur, aut humorum nimia copia obstruuntur & intendũtur, quorum causa parum aut nihil alimenti in corpus digeri & transire potest & illud alere: quare macie tandem cõficiatur & cõtabescat, necessum est. Quod malum Celsus medicinæ lib. 3. cap. 22. primam tabis speciem esse dicit, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis uero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur, & nisi occurritur, tollit: atrophian hãc Græci uocant. Ea duabus ferè de causis incidere consueuit: aut enim nimio timore aliquis minus, aut auiditate

nimia plus quàm debet, assumit: ita uel quod deest infirmat, uel quod superat corrumpitur. Præterea Plinius libro 28. cap. 9. atrophos interpretatur etiam ab imbecillitate uires recolligentes: sed quàm bene, id aliorum esto iudicium. Venas.) Vena proprie sanguinis & cum eo mixti spiritus naturalis uasculũ est neruosum, ut scribit Galenus. Et ab arteria differt, quod in arteria minor sanguinis copia & is purior est, spiritus autẽ maior, & is tenuior & qui pulsando mouetur. In uena uero quę immobilis est, plus sanguinis & minus spiritus est. Vnde Plin. naturalis historiæ lib. 11. uenas sanguinis riuos, arterias uero spiritus semitas uocat. Sed hæc differentia non semper obseruatur, imò uenæ sæpiuscule pro arterijs accipiuntur, sicq; reperire est apud Celsum tum alibi tum in totius operis proœmio, ubi ait, Tum requirunt etiam quare uenæ nostræ modo submittant se, modo attollant. Et lib. 3. cap. 19. Licetq; protinus scire id esse, ubi uenarum exigui imbecillicq; pulsus sunt. Plinius lib. 23. nullo uino æque quàm phalerno uenas excitari dicit. Et Victruuius architecturæ lib. 1. uenarum rhythmos uocat. Et alibi sæpius ita reperire est apud poëtas. Cibos non recipiũt.) Cibum non recipere dicuntur, qui illo non aluntur.

4 Solstitio.) scilicet æstiuo, &, ut magi tradunt, circa canis ortum, ita tamen, ut superstitiosius præcipiunt, referente Plinio lib. 25. ne Luna aut Sol conspiciatur, fauis ante & melle terræ ad piamentum datis, & reliqua quæ ibidem legũtur non sine superstitione. Cęterum Solstitium à Sole dictũ est quasi Solis statio, quum scilicet Sol ultra non progreditur. Suntq; duo solstitia. Vnum æstiuum, quum sol Cancrum ingreditur, & ad inferiores circulos cõmeare incipit, quod Iunio mense fit. Alterum hyemale, quum mẽse Decembri Sol Capricornum ingrediens

5 ad nos incipit reuerti. Calculosos.) Calculosi dicuntur quibus calculus & lapillus diro cruciatu in uesica generatur. Mulso.) Mulsum dicitur uinum melle confectum,

fectum, Græci œnomeli uocãt. Conficitur autem, ut tradit Dioscorides, duobus uini cadis uno mellis plerunque mixto. Quidam ut celerius ad usum absoluant, mel cum uino decoquunt, sicque in uasa alia diffundunt. Alij etiam impendio consulentes, feruentis per uindemiam musti sextarijs duobus mellis unum miscentes, postquam deferbuit in dolia diffundunt, mulsumque hoc dulce perseuerat. Vtilissimum autem est quod ex uetere & austero uino confectum fuerit, quod etiam facilime cum melle con corporatur. Offultam.) id est, circumfultam & susten 7
tatam, quodque autor seipsum exponens ait, cinctam. Ab ob, quod aliquando circum significat & fulcire, quod est sustentare. Quæ autem cinguntur & cincta portantur, ea sustentantur etiam. Araneorum quos phalangia.) 8
Araneorum prima diuisione duo genera sunt. Vnum eorum qui innoxij sunt, quos Græci arachnas, Latini araneos dicunt: quorum etiam à Dioscoride duo genera recensentur, unum quod holcon & lycon uocat, alterum uero dicit esse quod candidas tenues & densas telas operetur. Alterum genus est eorum qui noxij sunt, quos & Græci & Latini phalangia uocant, quorum etiam plura sunt genera, suisque nominibus ab antiquis appellata, de quibus plura Nicander, Aristoteles, Plinius. Acetauerit.) id est, in acredinem qualis est in aceto uersum fuerit. Acetare ueteres pro cõmouere & agitare scripserunt. Quæ autem in acetum uertũtur, ea à natura sua commouentur & agitantur. Plagæ.) Plaga dicitur percussio, uerber & uulnus, siue apertum siue clausum, cæcum & tumens fuerit. Mature.) id est celeriter & cito. Hy 9
drophobon.) Hydrophobos dicit à rabido cane morsus, eo quod ex uulnere illo soleat morsis aquæ timor nasci: miserrimum morbi genus, in quo simul æger & siti & aquæ metu cruciatur, ut refert Celsus. ὕδωρ Græcis aqua dicitur, φόβος uero fuga & timor. Esse.) Esse hoc loco infinitiuum est ab edo quod est comedo. Butyro.) 10

Butyrum lactis pingue est, natura oleosum, barbararum gentiũ laudatissimus cibus, & qui diuites à plebe discernat. Fit autẽ ex lactis parte pinguiore quæ noctu in summo steterit, crebro iactatu in longis uasis ligneis angusto foramine spiritum accipientibus impulsa: sicq; discedẽte à reliquo lacte quod pingue in eo est, butyrum producitur. Sic dictum à boue, quoniam plurimum è bubulo lacte fiat, licet & omni etiam fieri possit, teste Plinio & Dioscoride.

11 Cæca plaga cum tumore.) Plagarũ aliæ sunt apertæ, & harum quædam recentes, ut uulnera recentia: quædam ueteres, ut ulcera putrida sanieq; purulenta fluentia. Aliæ uero sunt clausæ, quæ & cæcæ dicuntur, quarum etiam quædam sunt notæ, tantum collecti ex uerbere sanguinis & citra tumorem etiam, quæ liuores dicuntur: quædam uero cum tumore, ut tumentia ulcera & tumores qui ex uerbere collecto in unum sanguine fiunt, quamuis & citra uerbera in corpore tumores nascantur.

12 Nardi.) Nardus frutex est odoratus in India nascẽs, cuius spicæ & folia in honore sunt & celebrantur, prosuntq; felle suffusis et ictericis. Estq; nardi huius spica lõge alia tum ab ea quam uulgus spicam nardi uocat, uirosi & hircini odoris herba, tum ab huic simili quam Ligures Gallicam siue Celticam spicam, uulgus lauendulam uocat, boni & iucundi odoris flore, & cui colos sit inter purpuram & cæruleum. Oboli tres.) id est, drachma media. Obolus siquidem, quem aliqui perperã cum scrupulo confundunt, est scrupulus medius. Nam duo oboli scrupulum constituunt, sex uero drachmam. Laccæ.) Lacca, si Serapioni credimus, est quã Dioscorides lib. 1. cap. 23. canchamum uocat. Dioscoridis enim autoritate dicit esse gumi siue lachrymam in Arabia nascentis arboris, & habere similitudinem aliquam myrrhæ, quæ Dioscorides tradit de canchamo. Et autoritate Rasis idem Serapio dicit laccã cadere ex cœlo super ramos arboris gubera, id est mespili, in partibus Syriæ in insulis maris.

Crudæ.)

Crudæ.) id est, non ablutæ, sed talis qualis ex arbore desudat. Myrrhæ.) Myrrha lachrymum est arboris Arabicæ, Aegyptiæ spinæ similitudine nascentis: de qua plura Dioscorides lib. 1. cap. 75. & Plinius lib. 12. capite 16. & decimoseptimo.

NOMINA ATQVE VIRTVTES HERBAE SYMPHONIACAE HYOSCYAMIVE.

CAPVT IIII.



A GRAECIS Hyoscyamos dicitur & dioscyamos, alij adamãten, alij pythonion, alij † adamenon, alij hypnoticon, alij emmanes, alij auginon, alij dithyrambion appellãt, Pythagoras, Prophetæ, Osthanes † xylechion, Zoroaster typhonion, Latini insanam uocãt, aliqui Apollinarem, alij alterculum, alij symphoniacam, alij caliculare m, alij dentariam appellant, Punici gingan, Aegyptij saphtho, Phryges remenia, Thusci fabuloniam, Galli belinunciã, Daci dielian, Prophetæ Aegyptij ligeam. Thyrso est fruticoso, multirami, folijs nigris, scissis, hirtis: balanos generans, ut est mali Punici ampullaceum appellatum, obstrusos quidem scutulis & semine plenos, paulò longiori papauere. Sed sunt differentiæ eius tres. Nam altera flore purpureo ac semine nigro. Altera flore nigro & semine fuluo: sed utraq; sumẽtes in furiam mittit, appellataq; inde est maniopœos. Tertia semine atq; flore albo. Nascitur locis incultis & sabulosis, uel hortis, & littoribus ruderibusq;. Eius succus similis est meconi herbæ. Medetur ergo hyoscyamos candidior, & has habet uirtutes.

alias antimenon.

alias xyleon.

1 Ad aurium dolorem.

Herbæ ſymphoniacę ſuccus tepefactus cum oleo roſaceo & in aurem inſtillatus, aurium dolorem mirifice tollit: & ſi uermes fuerint, necat eos.

2 Ad omnem tumorem.

Herba ſymphoniaca cum ſtercore ouillo & modico aceto, factum quaſi malagma, impoſita tumorem tollit.

3 Ad dentium dolorem.

Herbæ ſymphoniacę radix cocta in uino auſtero, & data ex eadem coctione ſorbitio, ita ut eam intra dentes qui dolent, teneat, mox ſanat dentiũ dolorem.

4 Ad inguinum dolorem.

Herbæ ſymphoniacæ radix alligata femori, & dolorem & tumorem tollit.

5 Ad pedum dolorem.

Herba ſymphoniaca alligata pedum dolorem tollit, & tuſa omnis cum ſua radice & ſuper pedes impoſita mirifice tumorem tollit, & dolorem pedũ aufert.

6 Ad iocinoris & pulmõis dolores.

Herbæ ſymphoniacæ ſuccum da bibere, cũ ſumma admiratione ſanabit.

7 Ad muliebris pectinis dolorem.

Herbæ ſymphoniacæ ſuccum mixtum cum croco dabis in potionem & miraberis effectum.

COMMENTARII.



VARIANT in capitis huius inſcriptione exemplaria. Sunt enim quæ de Apollinari herba, quam hyoſcyamon uocãt, titulum illi præſcribant, nec male etiam, quoniam proprie & ſimpliciter

pliciter Apollinaris à Romanis uocatur. Alia uero titulũ illi præfigunt, quem nos reddidimus: nec id quoq; perperam, ni fallimur: fuitq; tituli nostri inscriptionis causa, tum aliorum exemplariorum inscriptio, tum quod in cu rationibus semper symphoniacã nominat herbã hanc, tanquam temporis illius communi & uulgato nomine, tum demum & potissimum ne in Apollinaris nomine error contingeret, præsertim quia infra cap. 22. alteri herbæ hoc nomine titulum præscribit, quum tamen illa nõ simpliciter Apollinaris, sed cum adiuncto, minor à Romanis antiquioribus nominata sit. Cæterum quod ad nominis Apollinaris rationem attinet, sciendum hoc nomine insignitam esse hanc herbam, ab Apolline medicinæ deo facta nomenclatura, idq; eam ob causam, quod doloribus mitigandis quasi diuino beneficio & ab Apolline concessam uim habeat: quæ causa etiam fuit ut Pythonion à Pythio Apolline, & διοσκύαμος, id est, dioscyamos, hoc est, Iouis faba appellata sit. Hyoscyamos uero, id est faba porcina (nam ὗς suem, κύαμος fabam significat) dicta est, ut Helianus refert, quod pastu eius conuellantur sues pręsenti mortis periculo, nisi copiosa aqua statim se foris & intus proluerint. Nunc deprauate iusquiamus dicitur. Vulgo pilisam uocant, & inde Germani *Pilsen krut.* Symphoniacæ.) Symphoniaca Gręca dictio, à Latinis tamen usitata: sic dicta herba, ceu Dioscoridis interpres Marcellus Vergilius Florentinus suspicatur & credit, quod quemadmodum ad musicen quæ symphonia cõstat, & symphonia etiam dicitur in hydraulicis organis, quę à Victruuio lib. 10. architecturę descripta sunt, regulæ duæ scalari forma erectæ cymbala quædam deinceps disposita sustinebãt, quibus deinde spiritus & aquæ impetu pulsis modulatio fiebat: sic in caulibus herbæ huius cytini illi dispositi deinceps symphoniaci instrumenti illius imaginem aliquam ostenderent. Adamanten.) Adamas, ut remur, appellata est ab effectus sui fortitudi-

ne & efficacia, eo quod quemadmodũ lapis adamas magneti suppositus ligat ipsum ut ferrum attrahere nõ possit: sic etiam herba hæc soporando hominem ligat, quo sensibus & uitæ muniis uti non ualeat. Adamenon.) Adamenon dictum uidetur quod insaniam faciat & furiam, nec paruam quidem, sed grãdem ipsam & quasi infernalem, ab ἅδης quod infernum, & μῆνος quod iram, mentis commotionem, amentiam et insaniam significat. Porrò exemplaria nostra nõ adamenon, sed antimenon scriptum habent, quasi contra insaniam faciens, ab ἀντὶ, quod est contra, & μῆνος insania: eritq; tũc nominis causa quod somnum & soporem gignẽdo furere & insanire nõ sinat, sed insanos mites reddat. Potuitq; ita ab utroq; effectu nomen indepta fuisse hæc herba: nam, ut Dioscorides tradit, insaniã gignit & soporem, præsertim prima & secunda species, ambæ infelicis in usu euẽtus, maxime nigra, quæ quod omnium pessima, ex omni usu abdicanda erit. Hypnoticon.) id est, somnificum & soporiferum, à somno quem inducit, & Græce ὕπνος dicitur.

Emmanes.) id est, ἐμμανής, hoc est, insana, à maleficio, quod ad insaniam & furorem agat, sic dicta: quæ causa etiã fecit ut maniopœos uocata sit. Auginon.) Sic dictum est à floris splendore. Dithyrambion.) id est, bacchicam quasi ebriam, à Baccho qui dithyrambus dictus est, ἀπὸ τοῦ δὶς εἰς θύραν ἀναβαίνειν, id est, à bis inducendo ad ianuam, quoniã uinum ad corporis ianuam, quod os est, frequenter secreta perducat. Appellata est autẽ hoc nomine herba, eo quod quemadmodum uinum copiosius sumptum ebrietatem facit, sic etiam hæc herba pota in cibóue sumpta ebrietati similem amentiam facit, & ceu uini natura mentem caputq; infestat. Pythagoras.) Pythagoras Samius philosophus clarus sapiẽtia, qui medicæ artis peritus, primus, ut Plinius scribit, uolumen de herbarum effectu composuit, Apollini Aesculapioq; & in totum diis immortalibus inuentione & origine assignata.

gnata. Is etiam quemadmodum Empedocles, Democritus & Plato ad magiam discẽdam nauigauit, & exilijs uerius quàm peregrinationibus susceptis, Persidis, Arabię, Aethiopiæ Aegyptiq; magos peragrauit, & reuersus magiam ipsam prædicauit & in arcanis habuit. Meminit Pythagoricæ peregrinationis etiam Valerius Maximus memorabiliũ lib. 8. cap. 7. Osthanes.) Osthanes hic magus fuit, de quo sic scribit Plinius. Primus quod extet, ut equidem inuenio commẽtatus de magia erat Osthanes, Xersen regem Persarum bello quod is Græciæ intulit, comitatus, ac uelut semina artis portentosæ aspersisse obitèr interfecto quacunq; commeauerat mundo. Diligentiores paulò ante hunc ponunt Zoroastrem Proconnesium. Quod certum est, hic maxime Osthanes ad rabiem non auiditatem modo scientiæ eius Græcorum populos egit: quanquam animaduertam summam literarum claritatem gloriamq; ex ea scientia antiquitus & penè semper petitã. Hæc ille lib. 30. Et paulò post eodem loco: Non leuem, inquit, & Alexandri magni temporibus autoritatem addidit professione secũdus Osthanes comitatu eius exornatus: planeq; quòd nemo dubitet orbem terrarum peragrauit. Xylechion.) Xylechion siue, ut exemplaria nostra habẽt, xyleon dicta uidetur hæc herba à ligno quod Græci ξύλον uocant, propterea quia frutex est caule crasso & lignea duritie quadã prædito. Zoroaster.) Zoroaster hic magus fuit Persa, Oromazi, ut Plato scribit, filius, & magicæ artis ueluti parens celebratus, ut à quo primum ipsam repertam adfirmẽt. Iustinus & Orosius Bactrianorum regem faciunt, qui eodem die, ut Plinius, imò, ut Solinus refert, eadem hora qua genitus est, risit, manifesto futuræ sciẽtiæ præsagio. Typhonion.) Typhonion appellata est à Typhone uento, quod quemadmodum is uiolenter in orbem actus, ut Aristoteles in Meteoris scribit, deijcitur, & hinc circulo uertitur, ac cuicunq; rei incidit uim ualidissimam infert: sic etiam herba

hæc gustata, mentem caputq; infestando uim illis infert, & amentiam ebrietati similem & capitis uertigines facit, quibus homo concidit, & se & omnia quæ circa ipsum sunt, in gyrum uerti & circumagi putat. Insanam.) Quemadmodum apud Græcos à maleficio emmanes, sic eadem ratione ab eodem effectu quo insaniam facit, dicta est à Latinis insana. Alterculum.) Alterculum diminutiuum est ab alterco, sic dictum ab alterando quod hominis mẽtem alteret, & à rationis usu alienet. Scribonius Largus compositione medicinali 181. Altercum, inquit, quod Græci ὑοσκύαμον uocant, qui biberunt, caput graue uenisq; distentum habent, mente abalienabũtur cum quadam uerborum altercatione, inde enim hoc nomen herba trahit altercum. Plinius altercũ & altercangenum Arabica uocabula esse tradit. Calicularem.) Calicularis dicta est à siliquarum & uasculorum quibus semen continetur multitudine seu potius forma rotũda. Quemadmodum enim calix poculi genus & uas potorium est rotũda specie, sic & hyoscyami herbæ siliquę & caliculi. Dentariam.) Dentaria nuncupata est eo quod radix eius dentium dolori medeatur. Phryges.) Phryges dicuntur qui Phrygiam incolũt, quæ minoris Asiæ prouincia est, & Troadi superiecta. De qua Plinius lib. 5. capite ultimo. Thusci.) Thusci populi sunt Italiæ Thusciam incolentes, quæ à sacrifico ritu Græcorum lingua sic appellata est, ut refert Plinius, quum prius Tyrrhenia diceretur. Vel, ut aliqui uolunt, à Thusco Herculis filio. Fabuloniam.) Fabulonia dicta est, eo quod in caulibus non aliter quàm in fabalibus uascula & caliculi eius deinceps dispositi hærent. Hactenus de nomenclaturis.

Thyrso fruticoso.) id est caule fruticẽ imitante. Nam, ut Dioscorides ait, frutex est crassis coliculis. Frutex autẽ dicitur, qui ad iustam magnitudinem arboris non ascendit, & statura similis est multis herbis, sed non demoritur neq; arescit ut herba, sed perennis est. Folijs nigris.) id est,

id est, obscure uiridibus. Siquidē folia in herbis dicūtur alba aut nigra, nō quod uere albedo aut nigredo in ipsis dici possit: omnia enim, licet inæqualiter, uirent: sed quia alia alijs comparata, albescere aut nigrescere uidentur.

Scissis.) id est, quæ incisuris sunt diuisa. Hirtis.) id est, hirsutis & asperis. Balanos.) id est, caliculos & uascula ipsa quibus semen includitur, & glandibus, quas Græci βαλάνους, id est balanos uocāt, quadam tenus assimilantur. Vt.) id est, quemadmodum, sicut. Similitudinem enī importat. Mali Punici.) hoc est, mali granati: quod Punicum appellatum est à regione, granatum uero à granis, è quibus pressis uinum fit quod rhoiton uocatur. Sed de pomis his & eorum differētijs ac uiribus plura Dioscorides lib. 1. cap. 137. & Plinius lib. 13. cap. 19. ac lib. 23. cap. 6. Ampullaceum.) Ab ampulla quæ uasculi genus est, in Punico malo ampullaceū uocat, id quod Dioscorides & Græci cytinum nomināt: hoc est, florem & pomi principium, in cuius captu & ambitu futurum pomum iam tunc continetur, & quasi conceptus acinorum fœtus ad maturitatem clauditur. Dictus quidem cytinus Græcis à tumore. κύτος enim illis est quod ambitu & tumore suo aliquid capit & complectitur & in se claudit. Obstrusos.) id est tectos, uelatos & conclusos.

Scutulis.) id est, clypeolis & uelaminibus, membranulisq́ue quibusdam solidis, quibus uasculi in quo semen continetur, aperturæ superiores & oscula conteguntur: quibus à natura illis prouisum est, ne roris aut imbris humor aliquis ad semen illac transire ualeat, quem aliâs facile intra se recipere possent. Flore nigro.) Quod hic ait, flore nigro, id Dioscorides ἄνθει μηλοειδεῖ, hoc est, ut Hermolaus Barbarus uertit, flore mali effigie: ut Marcellus autem, flore luteo. Qui qualis sit, docet nos Fronto apud Aul. Gellium Atticarum noctium lib. [illegible] dicens, Color rubidus autem & ruffus atrore & nigrore multo mixtus. Luteus cōtra ruffus color est dilucidior, unde ei quoque

nomen esse factũ uidetur. Semine fuluo.) Color fuluus, ut dicto iam loco apud Gellium ab eodem Frontone traditur, uidetur de ruffo atq; uiridi mixtus: in alijs plus uiridis, in alijs plus ruffi habere. Flauus cõtra uidetur ex uiridi & ruffo & albo concretus. Inde.) scilicet ab effectu quo insaniã facit. Maniopœos.) id est, insaniam faciens: à uerbo ποιέω quod est facio, & μανία mania, insania & furor. Sabulosis.) Locus dicitur sabulosus à sabulo, quæ harena est grossior. Ruderibus.) scilicet ueteribus, quæ sunt materia ueterum pauimentorum, & diruptorum ædificiorum, quæ lapidibus & testis confractis, calceq; harena commixta constat. Inter antiquos codices quidam huius loco habet, macerijs. Est autem maceria siue maceries murus & paries ex solis lapidibus sine calce factus. Similis.) scilicet quantum ad eius naturam & uirtutem effectumq;. Meconi.) id est, papaue-
C.4. ri, quod μήκων mecon Græce dicitur. Inguinum.) Inguina dicuntur pudendorum pars circa femora supra scrotũ & infra peritoneon sita, alioq; nomine pubes &
7 pecten appellata. Muliebris pectinis dolorem.) Intelligit dolores potissimum qui muliebrium locorum uitio & exuperante sanguinis menstrui profluuio contingunt & in pectine sentiũtur. Est autem pecten pars ea quæ sub umbilico pilis horret & hirsuta est, alio nomine pubes aut inguen appellata. Iuuenalis,

Inguina traduntur medicis iam pectine nigro.

Croco.) Crocus notus est, & Arabice atq; Germanice *Safran* dicitur. De cuius uirtute plura Dioscorides libro 1. cap. 25. & Plinius lib. 21. cap. 20.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE VIPERINAE.

CAPVT V.


R AE C I Elenion, ijdē echidnion, ijdem theriorhizon, Latini inulam, ijdem uiperinam & serpentariam, ijdem radicem Macedonicam nominant. Nascitur secus flumina uel segetes, folijs mollibus, gustu aspero. Leges eam mense Aprili.

I Ad uiperarum morsus.

Herba uiperina trita cum uino potui data, mirifice morsus uiperæ sanat, & uenenum discutit.

COMMENTARII.


IPERINA hæc est, quæ uulgo nunc serpentaria dicitur, & ab aliquibus quod tortuosam radicem habet, bistorta nominatur, folijs oxylapathi similibus, flore rubro, & radice rubra simili galangæ. Dicta est autem uiperina & serpentaria ab effectu quo uiperarum & serpētium morsibus medetur: quæ ratio etiā eadem significatione fecit ut à Græcis echidnon diceretur: ἔχιδνα, Græcis idem est quod uipera Latinis. Elenion.) Elenion & inula uocata uidetur hæc herba, quod quemadmodū proprie hijs nominibus insignita herba, sic etiam præsens contra serpentes & uenena ipsorum uim habeat efficacem. Theriorhizon.) hoc est, radix serpentina siue uiperina. ῥίζα, enim radix est. θηρία, uero Græcorū medicis sunt uenenatæ bestiæ, quæ morsu aut ictu uenenum relinquunt, & ueneni sui ui & maleficio nocent, maximeq; uiperæ & serpētes, quorum uenenis quia medetur hæc herba & eius radix, nomine hoc appellata est. Radicem Macedonicam.) Sic dicta est à regione in qua laudatior nasceretur. Gustu aspero.) id est, sapore qui gustu percipitur non admodum iucundo, sed asperitatis quid gustando reliquente.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ACORI.

CAPVT VI.



GRAECIS dicitur Acoros, choros, aphrodisias, Gallis piper apium, Italis uenerea, radix nautica, & singentiana & unguentiana. Nascitur locis cultis & hortis ac pratis. Leges eam mense Augusto.

1 Ne apes examinent & effugiant.

Herbam acorum in uase apium suspensam habeto, apes nunquam effugient. Hæc sane herba raro inuenitur, nec eam scire poteris, nisi cum flosculum emiserit.

2 Ad difficultatem urinæ, si quis facere non poterit, & stranguriam uesicæ habuerit.

Herbæ acori radicem cum aqua decoctam ad tertias, dabis bibere per triduum, urinam mirifice deducit, & stranguriam sanat.

COMMENTARII.



ACORVS, si eruditioribus quibusdã credimus, radix est odora, quam nunc falsò calamum aromaticum appellamus, quum nihil minus sit q̃ calamus: & non est radix illa uulgaris & iniucundi odoris, quam nos esse putamus, uidelicet gladioli quod luteo flore cõstat, & à Germanis *gelb lilgen oder schwertel wurtz* uocatur, quæ potius fœtida est quàm odora. Et ego pro acoro utendum suaderem calamo uocato aromatico. Habet autem iridis folia acorus, angustiora tantum, radices eidem non dissimiles, implicitas, nec recta descendentes,

dentes, uerũ obliquas & in superficie terræ, geniculis intersectas, colore subalbidas, gustu acres, odore nõ ingrato: ut illam describit Dioscorides. Choros.) Choros dicta uidetur quod in alueis, quos Græci χωρήματα à uerbo χωρέω quod est capio, uocant, suspensa apes capiat & detineat ne diffugiãt. Aphrodisias.) Sic dicta est Græcis à Venere quam ἀφροδίτην uocãt. Et hos Latini etiam imitati Veneream appellauerunt, fortè quia quemadmodum Venus specie & pulchritudine sua amabilis est, sic etiam herba hæc aromaticitate & odoris suauitate hominibus & apibus etiam amabilis, grata & iucunda est. Piper apium.) Sic dictam putamus quod aromatico odore suo apibus adeo grata sit, ut in alueari bus suspensa ipsas contineat ne procul effugiant. Radicem nauticam.) A nautis qui secus aquas habitant dicta uidetur radix nautica, eo quod plurimũ secus amnes & in aquosis natales suos habeat, licet etiam in alijs locis nascatur: sed primæ habẽtur, suntq; in prima bonitatis æstimatione acori radices, quæ in aquosis nascuntur, autore Plinio lib. 25. Examinẽt.) Examinare idem est quod con- C. 1.
gregari: & inde examen, id est cõgregatio, ceu apium, uesparum, locustarum & similium examen, id est cõstipatio, congregatio & unitio, ita ut mutuo contactu hærentia & simul ligata uideantur. Scire.) id est cognoscere. Quod autem nũc tradit, falsum potius putamus q̃ uerum. Ad difficultatẽ urinæ, &c.) Cõmemorat huius 2
curationis inscriptione, tria difficilis urinæ genera, suis nominibus à Græcis etiam distincta & nuncupata. Primum quidẽ difficultatem ipsam, ubi scilicet ex uesica per colem multa difficultate & magno cum dolore atq; conatu fluit urina, & hæc Græce dysuria uocatur. Secundum quum quis urinam facere non poterit, & Græce ischuria dicitur, id est, integra urinæ suppressio seu uesicæ obstructio: ubi scilicet toto obstructo canali nihil urinæ omnino redditur fluitue, quod malum uitę periculum ferre so

let, testante Galeno. Tertium quod Græce stranguria appellatur, id est urinæ aut uesicæ stillicidium, ubi exiguis per interualla stillis urina fluit.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE LEONTOPODII.

CAPVT VII.


RAECI Leontopodion dicunt, ijdem leontopetalon, prapedilon, theribethron, lychnida agrian, lathyron, leuceoron, orobethron, prapedion, leontospermon, Aëtopon, platyphyllon, Dardanus cacalian, Punici gudubbal, Latini flammulam uocant Veneris, ijdem brumariam, papauerculum & pedem leoninum. Nascitur sæpe cum tritico, thyrsis bipalmis, furcosis, in quibus ueluti cannæ binæ uel trinæ semen continentes, folijs coliculi agrestis similibus, radice nigra, rapę simili. Nascitur etiam in campis & circa fossas & harundineta.

1 Si quis deuotatus defixusq; fuerit in suis nuptijs, sic eum resoluas.

Herbę pedisleonis frutices numero septem sine radicibus decoque cum aqua, Luna decrescente, lauato eum & teipsum qui facis, ante limen extra domum prima nocte, & herbam incende aristolochiã, & suffumigato eum, & redite ad domum, & ne post uos respiciatis, resoluisti eum.

COMMENTARII.


EONTOPODION, de quo hic agit Apuleius, herba est, quam Dioscorides libro 3. cap. 102. & Plinius lib. 27. cap. 11. sub leontopetali nomine describunt: non autem ea de qua sub hoc ipso

leonto-

leontopodij nomine lib. 4. cap. 122. Dioscorides, & lib. 26. cap. 8. & 15. agit Plinius, & amoribus accommodata aliorum autoritate fertur, licet hæc nostra etiam ad amatoria sit non inutilis, & hoc amplius quod contra incantamenta & fascinationes quibus quis ligatur & ad Venerem idoneus & inefficax redditur, amuletum est & alexipharmacum. Nam quemadmodum leonum fœminæ quibus magna coitus libido est, cōmissi cum pardo adulterij culpam flumine abluunt, & ita ad maritale torum & legitimam Venerem regressum sibi recuperant & impetrant: sic etiam hac herba expiati & abluti qui fascinati sunt, & quibus Venereorum facultas incantamentis intercepta & adempta est, à fascino & maleficij noxa soluuntur & liberantur, atq; ad Venereorum usum idonei reddūtur & ualidi. Habet autem appellationis suæ originē ab animali omnium generosissimo, cæterisq; imperitante leone. Leontopodion enim nihil aliud est quàm planta leonis, hoc est, pes leonis. λέων siquidem est leo, πȣ̃ς uero pes, è quibus leontopodij nomen compositum est. Et sic dicta uidetur herba quod folia habeat instar leonini pedis formæ lata. Demum quod historiæ ipsius deest, sunt flores quos puniceos habet anemone similes, ut tradit Dioscorides. Leontopetalon.) Sub hoc nomine tractatur à Plinio & Dioscoride locis iam dictis. Estq; nihil aliud leontopetalon, quàm leonis folium. πέταλον enim Græcę, folium est Latine. Prapedilon.) Prapedilon dicta est à pedum parte infima, quæ planta & solea dicitur, à Græcis autem πέδιλον, idq; etiam forsitan ob latitudinis folij similitudinem quandam ad latitudinem soleæ pedum. Quæ latitudo etiā fecit ut platyphyllon, id est latifolium diceretur. πλατὺς enim latus dicitur, φύλλον folium.

Theribethron.) Theribethron dictum est, eo quod radix eius serpentium & uenenatorum, quę Græci θηρία dicunt, morsibus medetur. Lychnida agrian.) id est agrestem lychnin. Sicq; dicta est à floris figura, quemad-

modum & papauerculum: hij enim flores magnitudine, colore & figura nonnihil similes inter se existunt. Lathyron.) id est cicercula: sicq; dicta est quod semen in siliquis ciceris modo gerat. Orobethron.) Sic dicta est ab eruo, quod Græci ὄροβον dicunt, à seminis similitudine. Prapedion.) Prapedion dictum uidetur, quod in campis, planitie, uiridarijs, hortis: quæ omnia Græci πεδίον dicunt, imò ut hic etiam ait, quod ubiq; nascitur. Leontospermon.) hoc est, leonis semen. σπέρμα enim semen est. Sic forsitan appellatum quod siccatum ad unguium leonis speciem contrahatur & incuruetur semen. Aëtopon.) id est aquilæ pedem. Videtur autem sic dictum quod semen cum siccatur ad speciem unguium exanimatæ auis aquilæ contrahatur. Dardanus.) id est Troianus. Estq; gentis uocabulum, quo infra etiam nūc singulari nunc plurali numero utitur: nisi quis pro proprio nomine accipere maluerit. Fuit enim Dardanus magus sicut Hosthanes & Zoroaster, sed posterior tēpore, cuius meminit Ioānes Picus in oratione de dignitate hominis, & Ioannes Reuchlin in libris de Verbo mirifico. Cacaliam.) Ita fortassis uocata est quod ad amatoria sit utilis, quemadmodū proprie sic uocata herba, de qua Dioscorides lib. 4. cap. 114. & Plinius lib. 25. cap. 9. & leonticen etiam uocari dicunt. Flammulā Veneris.) Flammula Veneris appellata est à floris colore flammeo, puniceo, rubido ac roseo, qui Venerē maxime honestat & decorat. Furcosis.) id est, ramosis & plurium ramusculorum. Cannæ binæ &c.) Hunc Dioscorides numerum nō ad cannas, id est siliquas, sed ad semen in eis contentum refert inquiens, In summo siliquæ cicerum sunt, & in hijs duo triáue semina. Plinius nullū numerum ponit, sed simpliciter ait, Semen in cacumine in siliquis ciceris modo. Coliculi.) id est, brassicæ, quam diminutiua forma à caule coliculū uocat. Brassica enim caulis est, sic dicta ob thyrsi sui magnitudinem. Harundineta.)

Harun-

Harundinetum dicitur locus harundinibus consitus. Deuotatus defixusq́.) hoc est, incantamento & fascino, maleficioq́ à Venere prohibitus, detentus, ligatus & interdictus. Resoluas.) id est, à meleficio ueneficioq́ liberes & efascines. Frutices.) id est, thyrsiculos, coliculos & surculos. Eum.) scilicet qui fascinatus est & ligatus. Facis.) id est excantas, expias & lustras. Prima nocte.) scilicet Lunæ decrescentis. Aristolochiã.) scilicet rotundam, quæ contra medicamentorum noxas omnes utilis est, teste Dioscoride. Post uos.) id est, à tergo & retro. C.1.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE SCELERATAE.

CAPVT VIII.

GRAECI Batrachion, aliqui gelotophyen, alij mileon, alij coriannon, alij corion, alij stactycen, alij causticen, alij clonon, alij rhuselinon alij catastacticen, alij hephæstion, alij lycopnon, alij selinon agrion, alij selinon hydation, Aegyptij synechon, ijdem carcadana, ijdẽ nemecon, Latini apium rusticũ, ijdem apium risus, ijdem herbam sceleratam, ijdem apiastellũ, ijdem dentariam, ijdẽ auricomum. Nascitur locis humidis & aquosis. Si quis homo eam gustauerit, ridendo exanimatur. Est enim caustica. Sunt eius species quatuor, quarum altera cum folijs pinguibus atq; crassis & latis, colore alia subalbido, alia uelut nigro, cùm flore simili uel purpureo, thyrso cubitali, minime robusto: radice alba cũ adnatis germinibus uel erumpentibus tanquã in helleboro. Nascitur autem in stagnosis uel umbrosis locis. Secunda

est longioris thyrsi & folijs hirtis cum incisuris, gustu acerrimis. Nascitur sæpe in Sardinia. Tertia est breuissima, tetri odoris, atq; incendiosa cum floribus aurosis. Quarta est cum floribus lacteis.

1 Ad ulcera chironia.

Herbam sceleratam tusam cum axungia sine sale impones uulneri, excomedet putredinem, & si qua fuerit sordes, expurgat: sed nõ diutius patiaris quàm necesse est, ne & corpus sanum exedat. Si argumentum rei experiri uolueris, tũde eam & super manum sanam impone & alligato, statim rodit corpus.

2 Ad strumas & furunculos & apostemata, ut sine ferro aperiantur.

Herbam sceleratam tusam & subactam cum fimo porcino impone strumis, furunculis & apostematibus, intra paucas horas discutit, & pus eijcit. Lege eam omni tempore.

COMMENTARII.



HERBAE à Latinis ranunculus, à Græcis uero batrachion uocatæ, quatuor ab autoribus traduntur species, quarum omnium tametsi una & eadem sit uirtus, de ipsis tamen diuersis agit capitibus, præsenti scilicet secundæ speciei, quam specialiter sceleratæ nomine insignit, curationes priuatim tradens, tertiæ uero sub generali & communi omnibus batrachij nomine, priuatim etiam sequenti. Qui mos, ut de diuersis herbę alicuius generibus priuatim & seorsum diuersis agat capitibus, illi perfamiliaris est. Porrò quod ad nominis sceleratæ rationem attinet, sic dicta est herba à maleficio, eo quod comesta maligni sit effectus, noxia & mortifera. Nam, ut hic testatur, si quis hominũ eam manduca-

ducauerit, ridendo moritur. Quæ maleficij noxa etiam fecit, ut à Græcis nileon, id est sæua, sit dicta. Græcis enim νηλεὴς sæuum significat. Batrachion.) id est ranunculus, à ranis, quas βατράχους Græci dicunt, sic appellata herba, eo quod in aquis ubi ranæ degunt, nascitur, aut quia inter frutices ipsius ranæ frequẽter inueniantur. Et hæc Græca appellatio communis est omnibus ipsius generibus, licet hic tertiæ speciei tantum approprjet capite sequenti. Gelotophyen.) hoc est herbam risus, cuius appellationis ratio & causa est, quod risus licet infelicis et lamentabilis commouẽdi uim & potestatem habeat, aut quod risus speciem comesta præbeat. γέλως siquidẽ Græcis est risus. φυὴ uero uis & natura, fœtus itẽ atq; germen & planta siue herba. Coriannon & corion.) Hæ coriandri sunt appellationes huc translatæ, eo quod, teste Plinio & Dioscoride, coriandro similia folia habet, præsertim prima ipsius species. Stacticen.) Stactice & catastactice uocata est, quoniam humidis locis & prope aquas nascitur. στακτὸς enim liquidum & humidum significat. κατὰ uero idem est quod iuxta & prope. Causticen.) id est, incẽdiosam & adurentem: eo quod ui & natura sua acri & urente membra quibus imponitur, ignis modo cum dolore adurat & exulceret. καυστικὸς enim adurens dicitur. Clonon.) id est, turbidã & perturbantem: eo quod mentem perturbãdo alienationes faciat in cibo potuue sumpta, teste Dioscoride in σ. κλόνος enim turbationem significat. Rhuselinon.) hoc est, apium aquaticum, quod & paulò post selinon hydation eadem significatione à Græcis nominari dicit: quorum nominũ ratio & causa est similitudo foliorũ eius ad folia apij, inter cuius genera numeratur, & natales eius quia humidis & aquosis, ac, ut Plinius ait, humidis limitibus nascitur. Siquidem Græci σέλινον apium, ῥοῦν uero fluxum aquarum, & τὸ ὕδωρ aquam dicunt. Hephæstion.) id est Vulcaniam, à Vulcano, qui ἥφαιστος dicitur, & pro

igne accipitur, circa quē uersatur: nam deorum faber perhibetur. Sic autē dicta est herba, eo quod uis illi sit ignea, caustica & adurens. Lycopnon.) Lycopnos dicta est à maleficio, quod spiritum & uitam destruendo mortem acceleret & inferat, à uerbo λυκόω, quod est destruo & corrūpo. πνοὴ uero spiritus est quo uiuimus & anima. Selinon agrion.) id est apium agreste & rusticum, sic dictum quod apio simile sit, & ruri ac locis incultis nascatur. Apium risus.) Apium risus appellatum est ob similitudinem apiorum sæpius iam dictam, & in quorum genere connumeratur, & à noxa qua comedētes illud ridendo moriuntur. Apiastellum.) Nomen hoc habet etiam à sæpius iam dicta apiorum similitudine. Dentariā.) Dentaria uocata est eo quod risus ab ea factus dentes aperiat & renudet. Seu quia dentium dolores admota sedat, & diutius commanducata radix, ipsos etiam frangat dentes, teste Plinio & Dioscoride. Auricomum.) Sic dicta à colore aureo quo flores conspiciuntur, præsertim tertiæ speciei. Hactenus de nomenclaturis. Exanimatur.) id est, anima & uita priuatur, moriturq;. Exanimari enim est animam exhalare & mori. Caustica.) id est incēdiosa & adurens. Et hæc uis omnibus generibus communis est. Quod uel Plinius lib. 25. circa finem testatur inquiens, Omnibus uis caustica si cruda folia imponantur, pustulasq; ut ignis faciūt: quare & caustice dicta est hæc herba. Velut nigro.) hoc est, ad nigredinem quandam uergentis, &, ut Plinius ait, liuido. Flore simili.) scilicet liuido seu luteo. Thyrso cubitali.) id est caule altitudine cubitali. Est autem mensura cubitalis siue cubitus, mensura quanta patet à cubiti flexura usque ad summum medium digitum, quæ ex uigintiquatuor digitis seu palmis sex cōstat. Minime robusto.) hoc est, gracili & non adeo crasso. Germinibus.) id est paruis radiculis & capillamentis, quæ ex radice ipsa erumpunt & eisdem adnascūtur. Helleboro.) Elleborus est, qui

Latine ueratrum dicitur, cuius duo genera traduntur, album & nigrũ, de quibus multa Dioscorides lib. 4. & Plinius lib. 25. cap. 5. Stagnosis.) hoc est, in paludibus & aquis stantibus, utq; Plinius ait, in limitibus humidis & opacis. Sardinia.) Sardinia mediterranei maris insula est, omnibus rebus & praecipue tritico fertilis & felix, sed aestiuo tẽpore morbosa & pestilens: de qua plura Strabo lib. 5. Pomp. Mela lib. 2. Plin. li. 3. & Solin. ca. 11. In hac insula etiã herba haec scelerata iusto largior prouenit, unde à poëtis Sardonia herba uocatur, & ab hac & eius tristi calamitosoq; affectu & maleficio, Sardonius risus, prouerbio dicitur. Unde Dioscorides lib. 6. ait, Hęc herba in cibo potũue sumpta mentis alienationem, & cum labrorum contractione eas cõuulsiones facit, ut risus speciem uidentibus praebeat: à quo euentu etiam Sardonius risus miserabili dicterio inter homines iactatur. Vlcera chironia.) hoc est, ulcera antiqua & immedicabilia, quae cicatricem difficilime contrahunt, nec facile sanescunt, sed si curari & sanari debent, medico peritissimo indigent, qualis fuit Chiron, qui primus talia mala ulcera sanauit, quam ob causam ab eo quoq; Chironia dicta sunt. Graeci κακοήθη ἕλκη uocant, id est ulcera maligna, contumacia & rebellia, quae omnibus rite decẽterq; factis, tamen non sanantur. Celsus aliquando mala ulcera nominat: & chironiũ proprij generis ulcus facit, priuatimq; de illo agit lib. 5. Vulneri.) id est, ulceri. Vulnus proprie dicitur in carnosa parte extrinsecus cesim percussimue facta continuitatis solutio, & hians patensq; apertura recẽs facta. Vlcus uero dicitur quod per se nascitur, & intra seipsum corrumpitur, aut etiam ex praecedente uulnere quoquo modo putrescente generatur. Sed proprietas haec & differentia nõ semper obseruatur, ut hoc loco & saepius in sequentibus uidere licebit. Excomedet.) id est consumet. Qua sordes.) id est aliqua sordities & immunditia. Non diutius quàm necesse est.) id est, non ultra C. I.

puris consumptionẽ & sordium detersionem. Nam q̃pri mum emũdatum est ulcus, amouendum est medicamentum, aliâs enim & uiuã carnẽ corroderet exulceraretq́;.

Patiaris.) scilicet stare supra ulcus. Corpus.) id est carnem. Corpus nunc totam massam corpoream, nũc carnem ipsam & sanguinem significat. Martialis,

Viuebant laceri membris stillantibus artus,
Inq́; omni nusquam corpore corpus erat.

Et Q. Serenus,

Noxia corporibus quædam de corpore nostro
Progenuit natura.

Loquitur autem de pediculari morbo, qui phthiriasis di citur. Argumentum.) Argumentum inter alias signi ficationes suas, aliquãdo idem est quod ratio, probatio, & ostensio quæ rei dubiæ facit fidem, ceu præsenti loco.

Sanam.) id est, integram & quæ cute integra adhuc tecta est. Strumas.) Strumæ sunt quæ alio nomine di cuntur chœrades & scrophulæ, de quibus dictum est in præcedentibus. Et quia strumis medetur hęc herba, hinc ab herbarijs strumea quoq; dicta est. Plinius, Nostri her barij strumeam uocant, quoniam medetur strumis & pa nis parte in fumo suspensa, creduntq́; ea rursus sata rebel lare quæ curauerit uitia, quo scelere & plantagine utun tur. Furunculos.) Furunculus, uti Celsus medicinæ lib. 5. tradit, est tuberculum acutum cum inflammatione & dolore, maximeq́; ubi iam in pus uertitur. Qui ubi ad apertus est & exit, superapparet pars carnis in pus uersa, pars corrupta subalbida subrubra, quem uentriculũ qui dam furunculi nominant. In eo nullum periculum est, etiam si nulla curatio adhibeatur, maturescit enim per se atq; erumpit. Sed dolor efficit, ut potior medicina sit quæ maturius liberet. Porrò Plinius lib. 26. cap. 13. de furuncu lis sic scribere sibi permisit, Passim & in quacũq; parte ac maximo incommodo nascuntur qui furunculi uocãtur, mortiferum aliquando malum confectis corporibus.

Apoſtemata.) ἀπόϛημα, id eſt apoſtema Græce, Latine abſceſſus, ſuppuratio, collectio & tumor, à concurſu malorum humorum in corporis partem aliquā facto generatus. Galenus in diffinitionibus ſuis mutationem ſeu tranſitum corporis ex inflammatione ad pus eſſe dicit.

DE BATRACHIO HERBA.

CAPVT IX.



NASCITVR locis ſabuloſis & campeſtribus aquoſiſq́ꝫ. Radix eius uerticillo eſt ſimilis, radiculas paruas & tenuiſſimas habens, flore auroſo. Punici atzicurur appellant. Virtutes porrò has poſſidet.

1 Ad lunaticos, qui curſum Lunæ patiuntur.

Herba batrachion ſi lunatico in ceruice ligetur lino rubro luna decreſcente, cum erit ſignum tauri uel ſcorpionis parte prima, mox ſanabitur.

2 Ad nigras cicatrices.

Herbam batrachion tuſam cum ſua radice mixto aceto impones his qui habēt cicatrices nigras, exedit eas, & ſimilem corpori reliquo reddit colorem.

COMMENTARII.



BATRACHION hoc tertia ranūculi ſpecies eſt, quā Apuleius hoc nomine ſpeciatim inſignit, & ab alijs ſecernit, quum alij generatim omnia ipſius genera eo comprehendāt. Eſt autem batrachion hoc herba quam noſtri temporis herbolarij pedem coruinum uocant, & cuius in uino maceratę radicis

liquorem multi peste infectis ad sudorem eliciendum in potu exhibent, quod tamen faciendum ipse nequaquam consulo, imò summopere dissuadeo & prohibeo. Est enim caustica, exulcerans & noxia intra corpus assumpta. Estque alia etiam ab ea quam ueteres pedem coruinum & Apuleius noster galli crus uocat. Verticillo, spondilo.) Verticillum, siue uerticulum, est instrumentum illud ro tundum perforatum, quod mulieres in ducendo ex colo in filum lino aut uellere aliquo adhibent fuso, & ipsum, quo facilius uertatur, librant. Germanice uocatur *ein wir*
C.1. *tel*. Lunaticos.) Lunatici dicuntur in quos luna agit, &, ut Apuleius ait, qui cursum Lunæ patiuntur, quales sunt potissimum qui comiciali morbo laborant, aut insania, alióue morbi genere quopiam certis Lunæ temporibus grauantur & agitantur. Sed de prioribus præcipue loquitur Apuleius. Ceruice.) id est collo. Est enim medicamen hoc ex amuletorum genere, quæ sic dicta sunt ab amoliendo. Sunt autem amuleta, omnia quæ superstitiose corpori adalligantur, aut è collo suspenduntur & expiandorum malorum gratia gestantur: ceu sunt herbarum radices & herbæ ipsæ, religione consecratæ preces, syderum obseruatione factæ imagines, & id genus alia quæ ad naturæ aut fortunæ iniurias arcendas portantur. Parte prima.) hoc est, in primo gradu quo Luna in horum signo-
2. rum alterutro decrescit. Cicatrices.) Cicatrices uocat cutis corporis decolorationem & maculas, quas Græci stigmata uocant. Exedit.) id est exterit & delet atque emendat.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE ARTEMISIAE.
CAPVT X.

A Græcis


GRAECIS dicitur toxotis, aliis ephesias, aliis charistelochia, aliis lysas, aliis parthenion, aliis hypolysos, aliis anactorion, aliis sozusa, aliis leucopis, Prophetæ hæma anthropu, alii onicãthen, alii chrysanthemon, alii zathesien, alii theonisin, alii busbastheoscardian, alii ost' anthropu, alii hęma cronu, alii gonos hephæstu, alii philacterion, alii lachanõ basilicõ, Aegyptii anesen, alii neiasar, Pythagoras pexasin, & toxobolon, Galli ponem, alii titumen, Daci zyred, alii zonusten, Itali Sirium, alii serpillum maius, alii ualentinam, alii artemisiam, non pauci per se pollentem. Nascitur locis lapidosis & sabulosis. Hiis uirtutibus prædita est.

1 Ad iter faciendum.

Herbam artemisiam monoclonon, si quis iter faciens secum in manu portauerit, non sentiet itineris laborem. Fugat & dæmonia in domo posita, & prohibet mala medicamenta, & auertit oculos malorum hominum.

2 Ad pedum dolorem.

Herba artemisia monoclonos tusa cum axungia & imposita, pedum dolorem tollit.

3 Ad dolorem intestinorum.

Herba artemisia pisata & in puluerem redacta, cum aqua mulsa potui data, intestinorũ dolorẽ sedat.

COMMENTARII.


RTEMISIA qualis herba sit, non docet Apuleius, quare ex Plinio et Dioscoride illam describemus. Est autem fruticosa herba similis absinthio, maioribus tantum foliis et pinguioribus. Eius duo genera. Altera speciosior & pinguior, latiorib.

foliis & crassioribus ramulis, & de hac præsertim monoclono præsenti agitur capite, uocaturq́ à Germanis *Rot bugken*. Altera est tenera tenuioribus foliis, exiguo flore, tenui, candido et graue olenti: floret hæc æstate. Nascitur in maritimis plerunq;. Et huius curationes sequenti traduntur capite, nostroq́ tempore matricaria dicitur: Teutonice *Matrenen*. Sunt etiam qui in mediterraneis herbulam exilem, simplici caule, minimis foliis, flore copioso, tenui & colore rutilo, monoclonon etiam à singulari ramulo artemisiam dicunt, odore non iniucundo, & quæ odoris suauitate uincat antedictas. Et hanc Apulei leptophyllon, id est tenuifoliam credimus, nostroq́ tempore athanasia & tanacetū, Teutonice *reinfar* appellatur. Nuncupata est autem artemisia herba, ut aliqui uolunt, ab Artemisia Mausoli regis coniuge, quæ ipsam adoptando cognominem sibi fecit, quo in herba & nominis & gloriæ suæ memoriam & monumentum naturæ æquæuum ad posteros transmitteret. Siue, ut alii uolunt, & è quorum numero est Apuleius, non ab hac, sed à Diana, quæ Græce ἄρτεμις dicebatur, nomen hoc adepta est, eo quod ipsa primo eam reperisse & uirtutes eius demōstrasse dicitur. Et quemadmodum prægnantibus & parturientibus, ut fœtum sine aliqua interiorum locorum noxa facile in lucem ædere liceret, auxilio & adiumento esse credebatur dea illa uotis & precibus inuocata: sic etiam eiusdem deæ beneficio idem præstat hæc herba, & fœminarum malis, menses, secundas, fœtusq́ trahendo, & matricis præclusiones inflammationesq́ sanando, priuatim medetur.

Toxotis.) Toxotis dici potuit, quod quēadmodum sagitta, quæ Græcis τόξον dicitur, ab arcu emissa, celerius euolat: sic etiam partus huius herbæ auxilio celeriter ex utero egreditur. Porrò nos non toxotis, sed una mutata litera tocotis potius legendū putamus à partu, qui Græce τόκος & τοκετός dicitur, eo quod utilis & salutaris sit parturientibus. Ephesias.) Ephesias dicta est à regione &

ne & à Diana Ephesia, quæ templum dicatum habuit in Epheso urbe Lydiæ. Charistelochia.) Appellata est charistelochia, eo quod puerperis ad lochia pellēda fauorabilis & egregia sit opitulatrix. Sunt autem λοχία, Græcis quæ fœminis à puerperio in muliebribus locis supersunt secundæ & menses, & qui tunc fiunt partus dolores & partus ipse. χάρις uero & χαριστήριον Græcis gratiam significat & beneficium, fauorem & beneficentiam. Lysas.) Lysas siue lyas, utrunq; enim legitur, dicta est à soluendo scilicet partu & excludendo fœtu & muliebribus malis liberando. λύω enim Græcis idem est quod soluo, & λύσις solutio. Et eadem est etiam ratio nominis, quod paulò post sequitur, scilicet hypolysos. Parthenion.) Parthenion appellata est, quasi uirginea, eo quod uirgo dea scilicet Diana nomen illi fecerit. παρθένος enim uirgo est. Anactorion.) id est, herba regia. ἄναξ enim Græcis rex dicitur, & proprie dijs conuenit. Sicq; dicta est herba quod regina, dea scilicet Diana, nomē illi dederit, quæ ratio etiam fecit ut lachanon basilicon, id est olus regium uocata sit. λάχανον enim olus, & βασιλικὸν regiū dicitur. Sozusa.) hoc est, salutaris & saluatrix, à præsenti scilicet remedio & auxilio sic dicta. σώζειν em̄ Græcis saluare est. Leucopis.) id est λευκῶπις, dicta est à floris cādore & colore albido. λευκὸς em̄ albus est, ὤψ uero uisus, aspectus & oculus: à quo & eius forma onicanthe quasi asininus flos dicta est, ut qui asininos oculos quodammodo repræsentet. ὄνος enim asinus est, & ἄνθος flos. Et hæc alteri speciei conueniunt nomina, quæ florem habet chamæmelo similem, in ambitu candidis foliolis, intus uero in medio aurosum, à quo auri colore & aliam habet appellationem, & chrysanthemon dicitur, siue quia chamęmelo, quæ etiam chrysanthemis dicitur, sit quadā tenus similis. Et hæc est quam nunc matricariā uocant, & Apuleius artemisiam traganthen, grauecq; olet. Hæma anthropu.) id est, sanguinem hominis: sic forsitan appel-

lata à colore rubro quo tanquã sanguine conspersa conspicitur, præsertim circa caulem: quæ ratio etiam fecit ut hæma cronu, id est sanguis Saturni diceret. ἅιμα eñ sanguis est, ἄνθρωπος homo, κρόνος Saturnus. Zathesien.) Zathesie dicta est quasi diuina & admiranda ualde propter uirtutum efficaciam, & quoniã à dea inuenta sit herba. ζάθεος enim diuinus dicitur, ζα particula augmentum dictionibus adferente, quũ per se nihil significet. Et sic etiam theonisis dicta est, id est diuina. Ost' anthropu.) id est, os hominis: ὀστέον eñ siue ὀστοῦν os significat. Sic dicta forsan à duritie quadam ossea, qua particeps est caulis. Gonos hephæstu.) id est, semen & proles Vulcani, γόνος enim idem est quod genitor, filius, proles & semen, ἥφαιστος Vulcanus. Sic dicta propter uim suam igneam & calfactoriam. Vulcanus enim ignis procreator, parens & deus habetur. Phylacterion.) Nuncupata est hæc herba phylacterion quasi custos & tutrix, eo q̃d domos in quibus suspenditur tutas custodit à dæmoniis & malis medicamentis & incantamentis. Pexasis.) Sic appellata uidet à caulis firmitate & robore duritieq́;. πῆξις enim firmitas est. Toxobolon.) Quemadmodũ superius tocotis pro toxotis, sic etiã nunc tocobolon pro toxobolon legendũ putamus, sicq́; uocata est quod fœtũ & partum pellere & eiicere sit potens & efficax. τόκος enim partus est, & βολέω iacio, βόλος iactus. Serpillum maius.) Dici sic potuit forsan à similitudine quadã cum serpillo. Valentina.) Valentina dicta est ab efficacia,

C. 1. quod contra morbos sit efficax & ualens. Ad iter faciendum.) hoc est, ut iter aliquod quantumuis longum, & diuturnum & asperum sine molestia, labore & dolore peragere & cõficere possis. Monoclonon.) id est, singularis ramuli ac simplicis uniusq́; caulis. μονὸς enim solus & singularis unicusq́; dicitur. κλὼν, ωνὸς uero ramũ significat. Porrò discernitur ab aliquibus in duo genera artemisia, utpote, in polyclonon, id est fruticosam, & mono-

noclo-

noclonon, id est unicaulem, quam tãquam efficaciorem præsenti capite commẽdat autor, licet utraq; eiusdem sit effectus. Dæmonia.) id est dæmones, quos prisci grã matici ab scientiæ magnitudine quasi δαήμονας dæmones, id est peritos ac rerum scios dictos aiũt, teste Lactantio diuinarum Institutionum lib. 2. Quorum stulta gentilitas alios bonos ceu lares & eudæmonas, alios prauos ceu laruas, lemures & cacodæmonas arbitrabatur. Verũ sacra Christianæ religionis scriptura dæmonum & dæmoniorum odioso, infesto & detestando Christianis nomine semper spiritus immundos et malignos, hominũq; inimicos, uexatores et seductores, & quicquid occursaculorum terriculamentorumq; siue noctu siue interdiu nobis aduersatur, obsistit, & perturbationi est, intelligit. In qua significatione dæmonia nũc etiam accipit Apuleius: licet contra in bonam partem & adiectiua forma dæmonium multi accipiant. Sic autor allegoriarũ Hesiodi Aristotelem, sic Plutarchus Platonẽ δαιμόνιον dæmonium propter scribendi eminentiam cognominauit, licet diuersa ratione, quam refert in Antiquarum lectionum lib. 1. cap. 23. Ludouicus Cœlius. Et sic etiam in artibus Dionysius Homerum δαιμονιότατον dæmoniotaton uocauit. Et Homerus reges Δαιμονίυς quasi εὐδαίμονας, id est felices & diuinos: contra & in malam partem plebeios & priuatos δαιμόνιυς, quasi δυσδαίμονας & infelices. Mala medicamenta.) Medicamenta dicuntur quæ Græci usitato etiam Latinis uocabulo pharmaca uocant. Vsus est autẽ mali adiectione Apuleius, ut excluderet medicinas & remedia quæ bona sunt. Nec de malis omnibus loquitur, quũ enim in duplici differentia sint mala medicamenta, utpote alia quæ in natura uenena aut quæ ueneni maleficio noxia eduntur bibunturue: alia uero quæ data iniectaue alicui, amare, furere aut tabescere cogunt hominem, & qualia sunt incantamenta, diræ & execrationes: hæc posteriora tantum per mala medicamenta intelligit

autor. Oculos malorum hominum.) hoc est, uisus effascinantium hominum, quales pluribus in locis esse non pauci memoriæ prodiderunt autores, ceu naturalis historiæ lib.7.cap.2.refert Plinius, quum ait, In Africa familias quasdam effascinantium Isigonus & Memphodorus tradunt, quarum laudatione intereant prata, arescãt arbores, emoriãtur infantes. Esse eiusdem generis in Triballis et Illyris adijcit Isigonus, qui uisu quoq; effascinẽt, interimantq́ quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis, quod eorum malum facilius sentire puberes. Notabiles esse, quod pupillas binas in oculis singulis habeant. Cuius generis & fœminas in Scythia, quæ uocantur Vitiæ, prodit Apollonides. Philarchus & in Ponto Thibiorum genus, multosq́ alios eiusdem naturæ, quorum notas tradit in oculo altero geminam pupillam, in altero equi effigiem: eosdem præterea non posse mergi, ne ueste quidem degrauatos. Haud dissimile hijs genus pharmacûm in Aethiopia prodidit Damon, quorũ sudor tabem contactis corporibus adferat. Fœminas quidem omnes ubiq; uisu nocere, quæ duplices pupillas habeant, Cicero quoq; apud nos autor est. Adeo naturæ quũ ferarum more uescendi humanis uisceribus uim ingenuisset, gignere etiam in toto corpore & quorundam oculis quoq; uenena placuit, ne quid usquam mali esset, quod in homine non esset. Hactenus Plinius.

DE ARTEMISIA TRAGANTHI.

CAPVT XI.

1 Ad uesicæ dolorẽ & stranguriam.

Herbæ artemisiæ traganthis succum ex uino uncijs duabus dato, febricitanti ex aqua calida cyathis duobus potui dabis.

Ad co-

2 Ad coxarum dolorem.

Herbam artemisiam traganthen tūdes cum axungia, & aceto bene subiges, & impones & alligabis, tertia die sanabit.

3 Ad neruorū dolorem et tumorem.

Herbā artemisiam traganthem tusam & oleo bene subactam impone, mirifice sanabit.

4 Hijs qui in pedibus grauiter dolēt.

Artemisiæ tragāthis radicem ex melle dabis manducare, & ita cito purgabitur, ut uix credi possit tantam uirtutem eam habere.

5 Si quis in febribus laborat.

Artemisiæ traganthis succus cum oleo rosaceo inunctus, febres tollit. Hanc herbam si confricaueris, laseris optimi odorem habet.

COMMENTARII.



TRAGANTHES appellata est artemisiæ species hęc altera, quam alio nomine matricariam uulgo appellitāt, Teutonice *Matrenen*, et aliquando communi etiam alijs herbis nomine *Mûterkrut*, ob floris odorem graue olentem. τράγος enim ultra alia significata sua, insuauem etiam & uirosum grauecp olentem qualis sentitur sub alis & hirci quoq; olent odorem significat. Et hæc alterius ueterum exemplariorum nostrorum et Dioscoridis est scriptura. Cęteri omnes tagetes habent, quæ lectio si cui magis placebit, sciendū est sic dictam esse artemisiam, eo quod ipsa inter alias herbas tanquam dux & princeps, quem Græci ταγὸν dicunt, primo & præcipuo loco sit habenda, unde etiam à Latinis mater herbarum aliquando appellatur, præcipue prior species illa de qua præcedenti capite actum est, quod uel

id cõfirmare poteſt, quod in fine poſt curationes ſubiungitur, uidelicet, Hanc herbam ſi cõfricaueris, laſeris optimi odorem habet. Laſer enim non iniucundi odoris eſt, aliâs enim nõ in ciborum uſu fuiſſet. Verum utcunq; ſit, nos totum caput hoc ad exemplaris noſtri uetuſtiſſimi fidem reddidimus, nemini tamen præiudicantes, ſed unicuiq; iudicij ſui & meliora ſentiẽtis arbitrium relinquen-
C. 1. tes. Stranguriã.) Stranguria dicitur quando per interualla temporis guttatim & ſtillatim urina redditur & fluit, ad quod uitium aliquando ueſicæ dolor ſequitur, et Cato libri de re Ruſtica cap. 156. lotium ſubſtillum uocat.

Febricitanti ex aqua &c.) Hæc altera curationis huius pars, non contra febris iniuriam exhiberi pręcipitur, ſed contra ueſicæ uitia quæ febris concomitatur, quibus quia uinũ ratione febris non competit, ut quod febrilem calorem amplius accendat, ideo ex aqua febris qualitati contraria ſuccum illum exhibere iubet. Quare perperam in prius impreſſo codice ex hac curatione pars hæc ablata, & ad ſolam febrem in alium locum translata eſt, cuius erroris cauſa etiam factum eſt, ut ultima contra febres cu-
2 ratio non bene in hunc locum tranſpoſita fuerit. Coxarum.) id eſt conxendicum, quas Græci ἰσχία uocant, & Galenus eſſe dicit oſſa duo in poſteriore hominis parte ſacro oſſi, in anteriore autem ſibijnuicẽ inſititionis modo adiacentia, in quorũ oſſium iunctura & articulo malum & dolor fit longus nec facile ſolubilis, per interualla temporis repetens, à coxendice uſq; ad genua, & aliquando uſq; ad imos pedes pertingens, quem morbũ Latini coxendicem, Græci iſchiada uocant, & ætatis noſtri medici corrupta Græca uoce ſciaticam pro iſchiada nomi-
nant. Subiges.) Subigere eſt attrectare & inuicẽ agi-
4 tare commiſcereq; in unum. Purgabitur.) hoc eſt, à malis humoribus qui dolorem faciunt euacuabitur & emundabitur, ſicq; ablata cauſa à morbo & dolore libera-
5 bitur ſanabiturq;. Laſeris.) Laſer, quod & laſerpitiũ & ſilphion

& silphion et opos Cyrenaicus dicitur, quid sit, docet Plinius naturalis historiæ lib. 19. cap. 3. Dioscorides medicinalis sylvæ lib. 3. cap. 86. & Theophrastus in historia plantarum lib. 6. Hoc olim in multo ciborũ & medicinæ usu & magno honore dignitateq́ habitum, nunc quæ res sit ignoratur, licet nomen omnibus notum, & quo in fœtida asa utantur, quæ tamen teterrimi odoris ab antiquo laserpitio tum odoris sensu tum usu ipso quàm longissime distat.

DE ARTEMISIA LEPTAPHYLLO.

CAPUT XII.



NASCITUR circa fossas et sepes uel aggeres, & in agris frumentarijs. Flosculum eius uel folia si contriueris sampsychi odorẽ habent.

1 Ad stomachi dolorem.

Herbam artemisiam leptaphyllon tusam & cum oleo amygdalino bene subactã more malagmatis induces panno mũdo & impones stomacho, quinta die sanabitur. Et si fuerit eiusdem artemisiæ radix super limen ædificij suspensa, domui illi nemo nocebit.

2 Ad neruorum dolorem atq́ tremorem.

Herbæ artemisiæ leptaphylli contritæ succo expresso, & mixto cum oleo rosaceo si perunges eos, desinet tremor, & omne uitium tolletur.

Has tres artemisias Diana dicitur inuenisse, & uirtutes earum & medicinam Chironi Centauro tradidisse, qui primus de hijs herbis medicinam instituit.

Has aũt herbas ex nomine Dianæ, quæ ἄρτεμις Græce dicitur, artemisias nuncupauit.

COMMENTARII.


EPTOPHYLLOS, id est tenuifolia dicta est artemisia, à λεπτὸς quod est tenuis, gracilis & minutus, & φύλλον folium, & id propter foliorum exilitatem. Hanc nostro tempore athanasiam & tanacetũ uocant, Germanice *reinfar*. Aggeres.) Agger dicitur cuiuslibet rei coaceruatio: dicitur & medię uiæ eminentia ex terra & lapidibus effossis aggerata & coaceruata. Sampsychi.) Sampsychus herba est odora, quæ & amaracus & maiorana uocatur: de qua Dioscori-
C.1. des lib.3. cap. 43. & Plinius lib. 21. cap. 11. Stomachi.) Stomachum uocat Apuleius uentriculum qui cibi receptaculum est, in quo prima concoctio peragitur, in qua significatione & nunc uulgo accipitur, & aliquando à Plinio & Celso, licet hic lib. 4. cap. 1. & 5. pro gula, ille uero libro 11. cap. 37. pro postrema gulæ parte cui mox uenter annectitur accipiat, quemadmodum Galenus pro gula & ore uentriculi. Oleo amygdalino.) Quod quo pacto conficiatur, docet primi libri cap. 31. Dioscorides. Nemo.) nullum medicamentum, nullæ diræ, nulla execratio, nullum incantamentum, nec dæmonium, terricula-
2 mentũmue ullum. Diana.) Diana Iouis & Latonæ filia fuit, eodem cum Apolline partu ædita, perpetua uirginitate insignis, syluas colens, & uenationibus uacãs, ob quod & syluarum nemorumꝗ dea credita est & habita, Græceꝗ Artemis dicta est. Chironi Centauro.) Chiron Centaurus Saturni & Phyllira filius fuit, qui cũ argonautis nauigauit, quorum medicus fuit: medicinam et herbarum uires inuenit, à quo medicinam didicit Aesculapius.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE LAPATHI.

CAPVT XIII.


APATHON, Romani dicunt rumicem. Nascitur locis sabulosis & aggeribus, uel aquosis uel hortis & circa fossas.

1 Ad paniculam quæ in inguine nascitur.

Herbam lapathon contundes cum axungia uetere sine sale, sic ut axungia dupla sit ad herbam, & hijs bene commixtis facies exinde uelut rotundulam, & inuolues in folio coliculi, & mittes eam sub cinerem calidum, & cum caluerit, tunc impones super paniculam, & panno ligabis lineo. Hoc enim eximium est et ualde optimum.

2 Ad apostema.

Herbam lapathon tusam cum axungia, et factam quasi malagma, induces in linteolo mundo & impones super apostema, mirifice aut spargit aut facit collectionem, & aperit ulcus.

COMMENTARII.


APATHI siue lapatij, utrunq; enim dicitur, plura sunt genera. Vnum quod oxylapathon quasi acutum lapatium uocatur, palustribus locis nascens, folijs duris & in cacumine acutis. Secundum genus est hortense priori omnino dissimile, folia habens lata similia betæ. Tertiũ est agreste, breue, plantagini simile, molle & in terra iacẽs. Quartum postremo est quod quidam ab aciditate saporis oxalida appellant:

alij anaxyrida aut agreste lapathon uocāt, cuius folia tertio generi similia sunt, & eius caulis nō adeo grandis est, semen acuminatum, colore rubro, sapore acri, quod in caule & adnatis nascitur. Est & quod hippolapathon, id est grāde lapathon à Græcis uocatur, grande olus, in paluſtribus nascens, & easdem antedictis uires habens, autor Dioscorides. Plinius hæc genera aliter tradere uidetur lib. 20. cap. 21. Cæterum quæ hoc capite traduntur curationes de omni lapatio intelligi possunt: licet primi generis quod oxylapathon dicitur, uirtutes seorsum tradat autor infra cap. 33. Præterea quartum genus nunc acetosam uocant, Cretes oxynidam uulgo dicunt, Germani
C. 1. *ampfſeren.* Paniculam quæ in inguine.) hoc est, bubona inguinum, ubi frequentius nascuntur. Panicula diminutiuū est à pano. Panus autem nihil aliud est quàm abscessus & apostema quod in adenibus & glandosis partibus nascitur, & præsertim in alis & inguinibus. Græci φύγεθλον uocant, & à Celso lib. 5. sic describit, Phygethlon est tumor non altus, latus, in quo quiddam pustulæ simile est. Dolor distentioq́ue uehemēs est & maior quàm pro magnitudine tumoris: interdum etiam febricula, idq́ue tarde maturescit, neq; magnopere in pus cōuertitur. Fit maxime aut in uertice, aut in alis, aut inguinibus. Panem ad similitudinem figuræ nostri uocant. Exinde.) Exinde & exin idem significant quod deinde. Rotundulā.) id est trochiscum & pastillum, disci formam rotundā habentem. Coliculi.) id est brassicæ quæ caulis dicitur,
2 & per diminutionem cauliculus & coliculus. Apostema.) Apostema est abscessus & tumor ex mali humoris in aliquā corporis partem deriuatione factus. Cuius duplex genus est, ut tradit Galenus Therapeutices libro 14. Vnū quum phlegmone in pus uersa, pus ipsum tāquam in sinu aliquo est collectum. Alterum quum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis statim ab initio, isq́ue aliâs specie alius, cæterum omnino acris, in parte aliqua
colli-

colligitur. Spargit.) id est dispergit, discutit, disijcit, dissoluit & annihilat.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE DRACONTEAE.
CAPVT XIIII.



GRAECIS dicitur Draconteа, alijs pythonion, alijs asclepias, alijs anchomanes, alijs sanchromaton, quibusdã † aphrissa, aliquibus atherion, nõnullis schœnos, item dorcadion; Prophetæ typhonion uocant, alij crocodillion, Osthanes, Zoroaster theriophonõ, Aegyptij eminion, Romani draconteam dicũt & colubrinam. De draconis sanguine nata esse fertur, unde dracontea uocatur. Nascitur in montibus summis ubi sunt luci, maxime locis sanctis; terra Apulia super saxis, tactu molli, gustu † mordaci: radix eius ima, similitudinem capitis draconis habet.

aliàs arisaron

aliàs dulci, tanquã castanea uiridis saporẽ habet.

1 Ad omnium serpentium morsus & aspidum.

Herbæ dracontеæ radix ex uino trita tepefacta potui data, uenenum omne discutit.

2 Ad ossa fracta in corpore.

Herbæ draconteæ radix cum axungia facta quasi malagma & imposita, mox ossa fracta de corpore educit, & lapides extrahit. Leges eã mẽse Iunio uel Iulio.

COMMENTARII.



DRACONTEA, quæ & dracontion, dracunculus, serpentaria & colubrina dicitur: caulem habet rectum, bicubitalem, baculi crassitudine, & uersicolorem innato leuore, purpureisq; ma-

culis abundantem ut angui similis uideatur. Folia fert ramicis sibijnuicem implicita. Semen in summo caule racemosum, colore primum cinereo, deinde quum maturuit rutilo capillamẽtorum croci puniceoq́; , gustũ erodens. Radix est illi rotunda, bulbosa, tenui libro uestita, autor Dioscorides. Dicta est autem dracontea, non quia de draconis sanguine nata sit, ut fabulose narrat Apuleius, sed si Plinio lib. 24. cap. 16. credimus, quia radicem habet sub rutilam & draconis conuoluti modo intortam: aut potius quia caulem habet anguium modo maculosum & uersicolorem cum leuore: quæ causa etiam fecit ut colubrinæ, serpentariæ & alijs aliorum serpentium nominibus indicata & appellata fuerit. Pythonion.) Pythonion dicta est à Pythone dracone, qui ab Apolline sagittis confectus narratur. Asclepias.) Sic appellata est ab Aesculapio medicinæ antiquo autore deo, in cuius tutela fertur draco illi dicatus, sub cuius specie ipse quoq; à gentilibus fuit cultus, & Romam ab Epidauro uectus. Anchomanes.) Anchomanes dicta est ab ἄγχος, id est anchos, quod est hasta, eo quod foliorum forma quam in summitate habet acutam similis sit summitati hastæ acutæ. Sanchromaton.) Sanchromaton uocata uidetur à caulis colore & leuore nitoreq́;, tanquam nitens tabula. σανὶς enĩ tabula est & asser, χρῶμα uero color & nitor. Quod si quis sauromaton legere maluerit, quæ forte uerior lectio fuit & Dioscoridis sauriariæ cõfinis, nihil prohibemus. Sciendum tamen tunc à lacertarum oculis sic dictam. σαῦρα enim & σαῦρος lacerta è serpentium genere est, coloris uarij ceu fului aut punicei aut cerulei, teste Plinio lib. 8. cap. 39. ὄμμα uero oculus est. Afrissa.) Vide num potius, ut putamus, legendum sit hoc loco arisaron, quæ huic congener planta est & bulbosa radice similis, quã ob causam hoc nomine etiam uocari potuit, aut si mauis aris agrion, id est aron agreste. Therion.) id est, serpentaria uel uiperina colubrináue, à serpẽtibus,

quos Græci θηρία, id eſt theria dicunt. Schœnos.) id eſt iũcus, qui cyperus dicitur & radix cyperis. Sic autem appellata eſt quod illi folijs aut bulboſa radice nõnihil ſimilis ſit. Dorcadion.) Dorcadion dicta eſt à caprea, quæ dorcas dicitur, eo quod folia habeat albeſcẽtibus maculis uariegata, quales & caprearum pelles habere uidentur, præſertim quæ aron dicitur. Typhonion.) Typhonion appellata eſt à Typhone gigãte, eo quod quem admodũ filia ipſius Chimera inferioribus membris ſcilicet cruribus ſerpentinis & draconis ſpecie fingitur, ſic etiam planta hæc inferiore ſui parte, ſcilicet radice intorta draconis conuoluti ſimilitudinem refert. Crocodilion.) Crocodilion dicta eſt à crocodilo ſerpente, quod animal eſt quadrupes in Aegypto iuxta Nilum habitãs, & terra pariter ac flumine infeſtum: unum terreſtriũ linguæ uſu carens, & ſuperiore maxilla mobili, de quo plura Herodotus lib. 2. Strabo libro ultimo. Plinius lib. 8. capite 25. & Solinus cap. 41. Theriophonon.) Theriophonon dicta eſt, quaſi uiperarum cædes & pernities. θηρίον em̃ uipera eſt & ſerpens. φόνος uero cædes & mors. Sic autem appellata eſt, eo quod à noxa & morſu eorum tueatur, ſi quis herbæ folijs aut radice manus confricauerit, aut radicem effoſſam manibus geſtet, ut ſcribit Dioſcorides. Quin omnino habentem ſerpentes fugiũt, ideo percuſſis prodeſſe in potu aiunt, ut tradit Plinius lib. 24.

Luci.) id eſt ſyluæ. Lucus à ſylua differt, quod hæc cędua ſit, ille uero nequaquam, ſed manu potius conſitus & religioſus, à ſacrificiorum luce ſic dictus. Eſt enim ſanctus & deo alicui aut hominis alicuius cineribus cõſecratus, quã ob cauſam & circa delubra deûm aut ſepulchra poſitus. Vnde ſubdit Apuleius, maxime locis ſanctis. Apulia.) Apulia, quam Græci Dauniam uocant, teſte Strabone, Italiæ regio eſt poſt Calabriam. Guſtu mordaci.) Alterum exemplariorum ſcriptum habet, guſtu dulci tanquã caſtanea uiridis ſaporem habet. Quæ lectio

aro potissimum conuenit, quod cum dracontea confundere uidetur, congeneres enim plantæ sunt, sibi inuicem nomina etiam communicantes, & sæpe una pro altera accipitur, suntq; easdem habentes uirtutes. Aspidum.) Aspis serpens est omnium perniciosissima, & cuius morsus omniũ maxime insanabilis habetur. Porrò de aspide plura Lucanus lib. 9. Solinus cap. 30. Plinius lib. 8. cap. 23. & lib. 29. cap. 4. Aelianus de naturis animãtium lib. 1. Dioscorides lib. 6. & Nicãder in Theriacis, necnon Galenus alicubi & Aristoteles atq; Theophrastus. Mense Iunio uel Iulio.) hoc est, ut Dioscorides tradit per messem. Et, ut Plinius scribit, Dracunculus ordeo maturescente effoditur Luna crescente.

C. 1.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE SATYRII.

CAPVT XV.

GRAECIS dicitur Satyrion, aliјs cynosorchis, aliјs entaticos, erythron, panion, serapion, aliјs orchis, Aegyptiј menem, Galli urã, Itali priapiscon, aliј orminalem, aliј testiculũ leporinum nominant. Nascitur in montibus locis solidis & cultis, in pratis item & locis maritimis. Lege eam mense Iunio uel Iulio.

1 Ad ulcera difficilia & cicatrices nigras.

Herbæ priapisci radix tusa & imposita, ulcera expurgat, & cicatrices curat.

2 Ad lippitudinem oculorum.

Herbæ priapisci succo cum melle optimo oculos inunges, & lippitudines & dolores tollet sine mora.

Si

5 Si quis ad mulierem non poterit affectari, obligatus.

Herbæ priapisci radicem, id est testiculũ dextrũ, qui maior est, teres cũ piperis albi granis quadragintaseptem, ut in se habeat semũciam cum herba supra scripta, & mellis uncias † quatuor, & in uino optimo medicamentum solues, & pondo scrupulorũ nouem per triduũ sumes, ad mulierem affectaberis cõtinuo. *alias tres.*

COMMENTARII.



PVLEIVS præsenti capite diuersarum herbarum, utpote utriusq; satyrij, utriusq; orcheos, & orminij siue geminalis herbæ nomina & uirtutes, sub una satyrij appellatione confundit. Quod non ob aliud factum putamus quàm quia omnes ad Venerem stimulãt, & Venereæ libidinis coitusq́ concitatricem uim habent, teste Dioscoride. Vnde fortassis quia in hoc pares sunt, in alijs etiam nõ impares uult esse Apuleius, ideoq́ siue unicam herbam, quæ proprie satyrion dicitur, siue omnes iam dictas intelligat, curationes has sub uno satyrij nomine nobis proponit. Cæterũ qualis sit & quo facilius inueniri possit harũ unaquæq;, haud abs re fuerit singularum historiam subiungere, interim non obliuiscentes, cui magis propie unaquæq; ab Apuleio proposita curatio, iuxta aliorum traditionem, cõueniat. Itaq; satyrion duûm generum est. Vnum quod à foliorũ numero triphyllon, id est trifoliũ uocãt, quoniã tribus plerunq; folijs fractis uiret, rumici, lilióue similibus, minoribus tantum & rubentibus: caulem habet glabrũ, cubitalem: florem lilij figura & candidum: radicem bulbosam pomo similem, foris ruffo, intus candido oui colore, gustu suauem & in cibo ori gratam. Alterum uero, quod erythron dicitur, lini semini æquale semen habet,

maius tamen firmiusq; & cum leuore splendens: radicis cortex exterior tenuis & ruffus, interiora uero candida sunt, grata in cibo & dulcia uescentibus. Nascitur apricis montanis locis. Et utriq; horum generi sunt radices geminæ, sed priori inæquales, nam maior semper altera: posteriori uero æquales & sibi inuicem pares. Et priori maxime propria est curatio hęc tertia ab Apuleio tradita. Orchis item duorum generum est. Vnus qui cynosorchis dicitur, qui folia habet circa caulem, & in ima eius parte per terram strata, molli oleæ similia, angustiora tantum longioraq;: siue, ut Theophrastus tradit, folia habet scyllacea, minora tamen, & minore leuore nitētia: caulem dodrantalem, in quo purpureus flos panditur: radicem bulbosam, oblongam, duplicem, mutuo contactu cohærentem oliuæ figura, superiorem alteram quæ maior, uegeta & distenta est, alteram uero inferiorem quæ minor, languida & rugosa est. Nascitur planta hæc petrosis & sabulosis locis. Alter autem quem serapiadem uocant, & triorchin, folia habet porro similia, oblonga, latiora tantum pinguiaq;, ex alarum cauis emicātia & inflexa: coliculos dodrantales & purpurascentes flores: radix est illi minimis testiculis similis. Et huic maxime proprius est primæ curationis ab Apuleio positæ effectus. Demum est ormínon siue geminalis herba folijs marrubio similibus, caulem habens quadrangulum dimidij cubiti altitudine, circa quem exerunt se ueluti siliquæ in terrā decliues, in quibus diuersum semen est: in syluestri enim rotūdum inuenitur, & medio inter nigrum & candidum colore: in satiuo autem oblongum & nigrum, cuius tantum usus est. Et huic proprie secunda appropriatur curatio. Postremo quod ad nominis satyrij rationem attinet, dictum est satyrion à Satyris dijs syluestribus in Venerem propensis, eo quod primi ad libidinem concitādam eam inuenerint & ostēderint. Siue quod quemadmodum ipsi natura sua in eam uoluptatem sunt potentiores, sic herba hæc homines

nes etiam ad eandẽ duret, & cõcitatiores firmioresq́ reddat. Cynoſorchis.) id eſt canis teſticulus. κύων enim canis, ὄρχις teſticulus. Appellata eſt autem hoc nomine herba à canum teſtibus quibus ſimilis eſt radix: quę teſticulorum & radicum ſibi inuicem cohærentium ſimilitudo fecit, ut etiam teſticulus leporinus diceretur ab aliquibus.

Entaticos.) id eſt arrectorium, eo quod arrigendo ad Venerem ſtimulet & concitet membrum uirile: facta nominis deriuatione à uerbo ἐντείνεσθαι, quod Græcis intendi & arrigere ſignificat. Erythron.) id eſt rubrum, à radicis colore, qui foris & in exteriore cortice ruffus eſt, facta appellatione. Panion.) Panion dicta eſt à Panis agrorum dijs, & hoc eadem ratione qua ſatyrion à Satyris. Sarapion.) Sarapion alterius orcheos proprie eſt appellatio. Eſt autem ſic appellata herba à Sarapi Aegyptiorum deo, propter laſciuiam impudẽtem qua is deus Canopi ubi templum & cultu & religione excellens habebat, colebatur, uti Strabo tradit, qui geographię lib. 17. poſt alia ſic ait, Sed ante omnia ingens eſt eorum turba, qui ad ſolennia per foſſam ex Alexãdria deſcendũt. Nam die ac nocte nauiculis plena eſt uirorum ac mulierum impudenter canentium ac ſaltantium cum omni diſſolutione, & ijs præterea qui diuerſoria habẽt foſſæ impoſita ad huiuſmodi relaxationẽ & celebritatem idonea. Hæc ille.

Orchis.) id eſt teſticulus. Sic dicta herba, quod radices ſibi inuicem cohęrent quemadmodum duo teſticuli.

Priapiſcon.) Priapiſcos appellata eſt à Priapi ad Venerem ſemper parati laſciuia. Fuit autẽ Priapus Lampſacenus, de ciuitate Helleſponti Lampſaco, qui quũ ob uirilis membri magnitudinem mulieribus ſolatio eſſet, Lampſaceni ipſum ciuitate expulere: ſed poſt externis etiã mulieribus gratus, tandem in deorum numerum receptus, & hortorum deus creditus eſt. Cuius ſimulachrum porrecto uirili membro fingebant & nudo. Vergilius,

Sed ruber hortorum cuſtos membroſior æquo,

Qui tectum nullis uestibus inguen habet.
Orminalem.) Orminalis dicta est ab ormino propter
effectus similitudinem & uim ad Venerem æqualem.
.2 Lippitudinem.) Lippitudo est oculorum morbus,
ubi cum inflammatione tumor hoc occupat & in his do
lor est, sequiturq́ pituitæ cursus, nõnunquam copiosior
uel acrior, nonnunquam utraq; parte moderatior: qui la
chrymis miscetur, ob quod palpebra interdum cum ocu
lo quasi glutinatur. Est etiã aliud lippitudinis genus, a-
ridæ scilicet, quod ξηροφθαλμίαν Græci appellant: in qua
neq; tument neq; fluunt oculi, sed rubẽt tantum, & cum
dolore quodam grauescũt, & noctu præ graui pituita in-
3 hærescunt, autor Celsus medicinæ lib. 6. Affectari.)
Vtitur dictione affectari pro affici, commoueri, stimulari
& accendi ad cupiditates & libidinem Veneris. Obli-
gatus.) id est maleficio & ueneficio incantamentoq́ al-
ligatus, detentus, deuinctus & impeditus, hoc est incan-
tatus & fascinatus. Piperis albi.) Piperis triplex est dif
ferentia. Vnum enim est longum uocatũ piper, quod ar-
bor ipsius à principio siliquarum modo profert, quod
priusquam dehiscat decerpitur, soleq́ torretur. Per matu
ritatem uero dehiscens ostendit alterum, quod cãdidum
appellatur piper. Quod deinde tostum solibus colore ru
gisq́ mutatur in tertium, nigrum uocatum piper, autor
Plinius lib. 12. & Dioscorides lib. 2. Semunciã.) id est
unciam mediam, quæ stater dicitur, Teutonice *ein lot*, &
cõtinet drachmas quatuor. Vncia autem est duodecima
pars libræ, drachmas continens octo. Scrupulos no-
uem.) id est, drachmas tres. Drachma enim scrupulos
continet tres. Scrupulus autem grana triticea, hordea-
ceáue, quibus pondera nunc metimur, pendet uiginti.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE GENTIANAE.

Græci

CAPVT XVI.



RAECI Gentianam dicunt, ijdem aloën gallicam, alij narcen, alij chironion, alij basilicam, Dardanus aloiten, Itali gentianã, alij cyminalem. Nascitur gemellis montibus et locis umbrosis. Hæc herba ad omnia antidota facit, tactu molli, gustu amaro, †scaposolido. Virtutes habet, *aliàs caput solidum.*

1 Ad serpentium morsus.

Herbæ gentianæ radicem siccam & in puluerem redactã pondo drachmæ unius dabis in uini cyathis tribus potui, ualidissime proderit.

2 Ad aures malas.

Herbæ gentianæ si dederis ut supra potum, miraberis uirtutem eius.

COMMENTARII.



VALIS planta sit gentiana, & à quo inuẽta, docet nos Dioscorides lib. 3. cap. 4. inquiens, A Gentide Illyriorum rege inuenta primum gentiana esse creditur, à quo etiam factum illi nomen est. Folia quæ à radice statim se proferunt iuglãdi nuci aut plantagini similia habet colore rubescente, à medio uero caule præsertimq; in summo cacumine breuibus incisuris diuisa sunt. Caulis illi est grandis, cõcauus, leuore nitẽs, digitali crassitudine, duûm cubitorum altitudine, geniculis intersectus, maioribus interuallis folia proferens. Semen habet in florũ doliolis latum, leue, glumosum, figura ad spondilij semen accedens. Radicẽ longam longæ aristolochiæ radici similem, crassam, amaramq;. Nascitur in altissimis montium uerticibus, ijsdemq; umbrosis & aquosis. Vsus, ut Plinius ait, in radice & succo.

Aloën gallicam.) Aloë gallica dicta est ob radicis similitudinem aliquam, quam utrumq; genus rectà sub ter

ram agit. Seu ab amaritudinis similitudine quã cum aloẽ gerit, & qua utraq; non parum participat. Narcen, chironion.) Narce & chironion dicta est, eo quod radicẽ habeat figura quadam tenus similem radici centaurij maioris, quod etiam narce & chironion uocatur, quorũ nominum hoc à Chirone Centauro, illud uero à torpore illi inditum est. νάρκη enim Græcis torpor est. Basilicã.) id est regiam, quoniam à rege sit inuenta. βασιλεὺς enim Græce rex dicitur, βασιλικὸς uero regius. Dardanus.) id est Troianus, à Dardania quæ prouincia est Asiæ minoris & Phrygiæ. Aloiten.) Aloitis dicta est à Dardanis, eo quod aloë etiam diceretur, aut eadem ratione qua aloë quoq; appellata est. Cyminalem.) Sic legitur etiam apud Dioscoridem, non autem comicialis, fuitq; facilis lapsus de una in aliam, mutata scilicet litera y in o, & litera n diuisa mutataq; in duas scilicet c & i, ut ita ex dictione cyminalis facta sit comicialis. Gemellis montibus.) Per montes gemellos intelligo alpes, & qui hijs subiacent subalpinos à Plinio uocatos, in quorum summis & altissimis uerticibus cacuminibusq; nascitur, uti testatur Dioscorides. In Illyrico tamen præstãtissima prouenit, testante Plinio lib. 25. cap. 7. licet ubiq; nascatur.

Antidota.) Antidotum dicitur quasi contra datum, ab ἀντὶ, quod est contra, & δόσις datio. Dicitur autem maxime de medicamẽtis quæ aduersus uenena dãtur: quamuis etiam quia grauissimis casibus opitulant, in alijs morbis aliquando, licet raro, pręcipue tamen necessaria sunt, uti tradit medicinę lib. 5. Celsus. Facit.) Facere hoc loco pro conducere, prodesse, & utile esse accipitur. Scapo solido.) id est uasculo integro. Scapus dicitur siliqua & uasculum in quo semen continetur, ut fabæ, papaueris & similium. Sciendum tamen in altero exemplariorũ nostrorum hic non legi scapo solido, sed caput solidum, id est radix crassa & compacta. Vocat autem radicem caput, quia quemadmodum à capite in totum corpus nerui &

per

per hos motus & sensus deriuantur, sic à radice tota planta exoritur & progreditur incrementumq́ accipit.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE CYCLAMINIS.
CAPVT XVII.

GRAECIS quibusdã dicitur cyclaminos, alijs cissarõ, alijs cissanthemõ, alijs cissophyllon, alijs chelonion, Zoroaster chelona symplates, Osthanes aspho, Prophetæ miaspho, Aegyptij titothos, Itali orbicularem, alij palaliam, alij rapum terræ, alij rapum porcinum, alij terræ malum uocant siue panem porcinum, Syri elardia. Nascitur locis incultis aut montuosis.

1 Ad caput deplendum.

Herbæ orbicularis succũ cum uino aut aceto optimo naribus infundes, mirabiliter sanabit.

2 Ad aluum concitandam.

Herba orbicularis in collyriũ facta & iniecta, catharticum est.

3 Ad splenis dolorem.

Herbæ orbicularis succi cyathum unum, & aceti optimi cochlearia quinq;, diebus cõtinuis nouem potui dabis, miraberis effectum bonum. Item radix eius in collo suspensa, ita ut contra splenem pendeat, efficaciter medetur. Nã & cyclaminis succo si quis anũ tetigerit, mira celeritate alui solutionem experietur. Lege eam omni tempore.


YCLAMINOS qualis herba sit, nõ docet Apuleius, quare ex Dioscoride illam describemus, qui ait hederæ folia habere, purpurea, uaria, supra infraq; albicantibus maculis. Caulem longitudine quatuor digitorum, glabrum, carentemq; folijs, in quo flores rosarũ figura sunt colore ad purpuram inclinato. Radix illi est nigra, rapo similis in latitudinem se pandens. Nascitur umbrosis locis, præsertimq; sub arboribus. Dicta est autem hæc planta cyclamen siue cyclaminos, utrunq; enim dicitur: ab orbe qui κύκλος Græce dicitur, eo quod in orbem circumacta, & quasi rotunda sit radix eius. Quæ ratio etiam fecit ut orbicularis dicta sit à Latinis. Plinius lib. 25. tuber terræ etiam uocari dicit, & in omnibus serendam domibus: si uerum est, ubi sata sit, nihil nocere mala medicamenta. Amuletum uocant, narrantq; ea ebrietatem repræsentari. Hæc ille. Cissaron.) Cissaron dicta est quasi hedera, eo quod folio sit hederaceo, id est hederæ figuram referẽte, à qua hedera, quæ Græcis κισσὸς & κισσὸν dicitur, appellata est etiam cissanthemon & cissophyllon, quorũ hoc nihil aliud est quàm hederæ folium, illud uero flos hederæ. Chelonion.) Chelonion uocata est à testudine, quæ Græce χελώνη chelone dicitur, eo quod testudinis forma sit radix, siue quod ea testudo uescatur, ut aliqui uolunt. Palaliam.) Palalia dicta est à forma palæ quæ rusticum instrumentum est quo fruges & frumenta uentilantur purganturq;, & alio nomine uannus dicitur & uallum, uelabrum, uẽtilabrumq;. Rapum terræ.) Sic appellata est eo quod radix rapo sit similis & sub terra latens. Et quia porcis ac suibus gratus est cibus & pabulũ, dicta est etiam rapum porcinum. Malum terræ.) Malum terræ dicta est à mali & pomi figura, & quia sub terra latet radix.

Panem porcinũ.) Panis porcinus est appellata, quia radix suibus, ut iam dictũ est, gratus est cibus, & à panis figura quæ in orbem acta est, nõ tamen in globum assurgens,

gens, sed ueluti in medio pressa pondere in latitudinem se explicat. Et ab hac Latina appellatione Germani eam *Süw oder schwynbrot* nominant. Ad caput deplendum.) C.1.
hoc est, ad capitis humores superfluentes minuendos & euacuandos, caputq́ ab ijsdem purgandum & alleuiandum, idq́ sternutamenta ciendo & excitando. Aluũ.) 2
Ventrem scilicet astrictum. Aluus dicitur in quã cibi post quam in uentriculo sunt confecti dilabuntur, & medio umbilico adnexa est. In collyrium.) Collyriũ est medicina, quam Græci à forma βάλανον, id est balanum, Latini glandem, & nostra ætate uulgo à supponendo anui suppositorium dicũt, quod uentris laxandi & emolliendi concitandiq́ gratia in anum immittitur. Est etiam collyrium medicina ocularis, quę in oblongã & balani glandisq́ formam redigitur, & sic donec usui sit seruatur.
Catharticum.) id est purgatiuum & excremẽtorum atque humorum malignorum eductiuum. Cyathum 3
unum.) id est unciam unam cum dimidia. Cochlearia quinq;.) id est drachmas septẽ cum dimidia. Contra splenem.) id est è regione splenis & iuxta, atq;, ut alia litera habet, circa splenem, qui Latine lien dicitur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE PROSERPINACAE POLYGONIVE.

CAPVT XVIII.



POLYGONON, alij cynochalen, alij polygonaton, aliqui asphaltion, alij chiliophyllon, alij polycarpon, alij carcinethron, alij clinopodiontes, alij myrtopetalon, alij heraclian, aliqui pedalion uocant, Aegyptij thephin, alij stemphin, Prophetæ gonon heroos, aliqui onycha myos,

Itali ſanguinariã, alij proſerpinacam, alij ſcorpinacã, alij ſtatumariã, & quidã miſere uiuiũ. Naſcitur ubiqꝫ locis cultis & aggeribus. Legito eam æſtiuo tempore.

1 Ad eos qui ſanguinem reijciunt.

Herbæ proſerpinacæ ſuccum cum uino optimo auſtero ſine fumo tepefactum ieiuno dabis bibere per dies nouem, miram rem experieris.

2 Ad lateris dolorem.

Herbæ proſerpinacæ ſucco cum oleo roſaceo ſæpius perunges, dolorem tollit.

3 Ad mamillarum dolorem quæ lacte habent & tumorem.

Herba proſerpinaca tuſa cum butyro ſubacta, & mamillis impoſita quæ dolorem & tumorem habent, dolorem et tumorem perfectiſſime tollit, ita tamen ut uſqꝫ in tertium diem medicamentum ponas.

4 Ad oculorum dolorem.

Herba proſerpinaca, ſi uadis ad eam ante Solis ortum, & circumſcribis eam cum annulo aureo, & dicis: Tollo te cum annulo aureo remedium oculis, deinde poſt triduum ante Solis ortum ſublatam, circũdabis collo, diligenter proficiet.

5 Ad aurium dolorem.

Herbæ proſerpinacæ ſuccus tepefactus & in aurem ſtillatus, mirifice dolorem tollit. Nos ipſi experti ſumus. Tamqꝫ potenter proficit, ut & ulcera quoque aurium ſanet.

6 Ad dyſentericos.

Herbæ proſerpinacę ſuccum cum aqua calida potui dabis quantum tibi uidebitur, ſanabitur.

Ad

7 Ad quartanas.

Herbæ proſerpinacæ ſuccum cum piperis granis ſeptem aut nouem ſub acceſſione dabis bibere. Lege eam die Iouis, Luna decreſcente.

COMMENTARII.



ROSERPINACA ſiue polygonos, herba eſt uulgaris, numeroſos, graciles & teneros ramulos habens geniculis interſectos, graminis modo per terram ſerpentes, folia rutæ, longiora tamen & molliora, & ſingulis folijs adnatum ſemen, quam ob cauſam maſcula appellatur, flores candidos aut puniceos. Eſt & alterum proſerpinacæ genus, minoris tamen efficaciæ, & fœmina appellatur. Sed de priore maſcula potiſſimum pręſenti agitur capite, & Teutonice *wåggraß* ſiue *wågdritt* uocatur. Porrò proſerpinaca dicta eſt, quod per terram ſerpat, & nõ in altum tollatur. Polygonos autem à Græcis appellata eſt, ut aliqui uolunt, à ſeminis copia & multitudine, quoniam πολὺ illis multum, γόνος uero ſemen ſignificet: quæ ratio etiam fuit ut polycarpos ijſdem diceretur, ſiquidem Græcorũ medicis καρπὸς ſemen ſignificat. Aut, ut alij uolunt, dicta eſt polygonos à geniculorum frequentia & multitudine, à γόνυ quod genu ſignificat, & per diminutionem geniculum: quæ ratio etiam fecit ut polygonatos quaſi geniculata, &, ut nunc uocant, centinodia ſit dicta, à dictione γόνας, quod etiam genu ſignificat. Scribonius tamen Largus polygonon dictum ait, quia multum ſit, & ubiq; naſcatur. Aſphaltion.) Aſphaltion appellata eſt, ut uolunt, aut à bituminis odore, aut à bituminoſi trifolij ſimilitudine. Chiliophyllon.) id eſt millefoliũ, à foliorũ numero & multitudine ſic dictum. Clinopodiontes.) Sic dictũ uidetur quod in terram inclinetur, & non in altum ſurgat: quæ ratio & pedalio nomen feciſſe potuit. Myrtopetalon.) id eſt

myrteum foliũ, à similitudine sic dictum. Heraclian.)
id est herculeam dictam uolunt aliqui à lentoris sui firmi
tate, qua herois illius in laboribus & periculis patiẽtiam
æquaret. Quæ causa etiam fuisse potuit ut gonos heroos,
id est semen herois dicta sit, à γόνος, quod genituram &
semen significat. ἥρως uero heros est. Onycha myos.)
id est unguem muris, ὄνυξ enim unguis est, μῦς uero mus.
Sic dictum forsitan à similitudine quadã folij ad unguem
muris. Sanguinariam.) Sanguinaria, siue, ut Celsus
uocat, sanguinalis appellata est à ui & potestate, qua san-
guinis eruptiones & profluuia omnia è quacunq; parte
is fluxerit, inhibet, supprimit & sistit. Scorpinacam.)
Nomen hoc habet à scorpionibus quibus egregie aduer
satur. Misere uiuium.) Sic uocata est quod miseram
uitam agat. Nam in uijs nascẽs pedibus semper calcatur,
& in sublime erigi non sinitur, sed depressum humi serpe
C. 1. re cogitur. Reijciunt.) id est per os expuunt, excreant
& eijciunt, expelluntq́, siue ex uentriculo, siue ex spirita-
3 libus partibus aut alijs id fiat. Lacte.) id est lac. Vtitur
dictione eo modo non semel Plautus, ut in Bacchidibus
cum ait, Haud scio quid eo opus sit, Quæ nec lacte, nec la
nam ullam habẽt. Et in Menæchmis, Nec aqua aquę, nec
lacte lacti, crede mihi, usquam similius. Item in Milite glo
7 rioso, Tam similem, quàm lacte lacti est. Sub accessio-
ne.) hoc est, ante paroxismum & tempus exacerbatio-
nis afflictionisq́ morbi.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE ARISTOLOCHIAE.

CAPVT XIX.



GRAECIS dicitur aristolochia, alijs adrarhy
za, alijs melocarpon, alijs ephesia, alijs cle-
matitis, alijs pyxionos, alijs dardanos, alijs
iontitis,

iontitis, aliȷs tocites, aliȷs teuxinos, aliȷs chamæmelō, aliȷs opetis, Aegyptiȷ † ſopoēp, Itali terræ malum, Daci abſinthium ruſticum, † aliȷ ſcardian. Naſcitur locis montuoſis, ſolidis, calidis & cultis. *aliàs ſophoſph* *aliàs Siculi.*

1 Ad uim ueneni.

Herbam ariſtolochiam piſatam cum mero potui dabis, uim ueneni uincit.

2 Ad febres acerrimas.

Herba ariſtolochia ſicca ſuffumigabis febricitantem & hilariorem eum facies. Fugat & dæmonia.

3 Ad fiſtulas.

Herbæ ariſtolochiæ radix fiſtulis inſerta celeriter expurgat et ad ſanitatem perducit. Medici quoq; ſine ea nihil feliciter curare poſſunt.

4 Frigore exuſtis.

Herba ariſtolochia ex oleo uſq; ad calefactionem uim habet cum axungia porcina.

5 Contra ſerpentium morſus & hominum.

Ariſtolochiæ radicem pondere denariȷ unius in uini hemina ſæpius bibat, diſcutit uenena.

6 Si infans contriſtatus fuerit.

Herba ariſtolochia ſuffumigabis infantē, hilarem facit, & conualeſcit infans, fugato dæmonio.

7 Ad canceromata quæ in naribus naſcuntur.

Herba ariſtolochia cum cypero & draconteæ ſemine trita & cum melle impoſita, emendat.

COMMENTARII.


RISTOLOCHIAE genera præcipua sunt duo, unum rotundum, &, ut Plinius ait, tuberibus radicum rotundis, folijs inter maluam & hederam nigrioribus pinguioribusq; & cũ acrimonia odoratis, modice rotundis, teneris, pluribus ab una radice erũpentibus germinibus: uiticulæ illi longæ sunt, flores candidi, pileolis similes, in quibus quod rubet graui odore sentitur, & radix in globum rapi modo rotundatur. Et hanc fœminam uocant, ut tradit Dioscorides. Alterum genus est quod uocatur mascula aristolochia, et est longa, & longiora quàm rotũda habet folia, ramulos tenues, longitudine ferè dodrantali: florem purpureum grauissime odoratum, qui cum dehiscere cœperit, piro similis fit. Radix illi est crassitudine digitali, &, ut Plinius ait, baculi crassitudine, longitudine dodrãtali quatuórue digitorũ longa. Vtriq; buxeus intus color, gustu amaræ sunt & odore uiroso. Est & tertia quædã aristolochia longa, quę clematitis uocat, ramulos habẽs tenues, folijs modice rotundis minori sedo similibus plenos, habetq; rutæ flores, radices longissimas, tenues, crasso & odorato cortice uestitas, unguentarijs ad unguenta expetitas. Cæterum dicta est aristolochia, quod puerperis egregie opituletur, &, ut Dioscorides ait, quoniam esset ἀρίστη λοχεύσαις, id est optima, non grauidis, ut interpretatus est Plinius, sed puerperis. ἀρίστη enim idem est quod optima, λοχεύουσαι uero sunt quæ iam pariunt, aut paulò ante pepererunt, & non grauidæ quæ uterum gerunt. λόχια uero sunt partus dolores, partus ipse, & post partum secundæ, purgationesq; aliæ omnes quæ tunc fiunt. Adrarhiza.) Sic dicta est à radicis crassitudine quasi crassi radix. ἁδρὰ enim crassum, robustũ & magnum significat, ῥίζα, uero radix est. Melocarpon.) Aristolochia rotunda melocarpon appellata est à mali seu pomi, quod Græcis μῆλον dicitur, forma globosa. Et quia sub terra

ra latet, Latini etiam terræ malum, & Græci chamæmelon uocant. Et opetin, quod in terræ cauerna sublateat, quæ Græce ὄπη dicitur. Ephesia.) Dicta est ephesia à Diana quæ Ephesi colebatur, eo quod quemadmodum dea illa puerperis & parturiētibus opitulari credebatur, sic etiam herba hæc ijsdem adiumento & auxilio esse soleat. Clematitis.) id est sarmentaria dicta est proprie tertia species à sermentis eius quibus unguentarij uti solent. Pyxionos.) id est buxea, à colore buxeo quem utriusq; radix intus habet. πύξος enim buxus est. Dardanos.) Hæc dictio si herbæ appellatio est, ut om̄ia quæ uidere licuit, exemplaria prætendunt, tunc à loco sic dicta erit, eo quod illic forsitan copiosior, speciosior ac melior nasceretur. Sed uide num potius legenda sit ut aliâs etiam sæpius in prioribus, uidelicet ut sit gentis uocabulum, quæ illam eo nomine appellet quod mox sequitur in impresso codice iontitis, siue ut alterū exemplariorum nostrorum habet, tocites. Quorum hoc à partu habet, quemadmodū & alterum teuxinos, seu potius una dempta litera texinos, idq; eadem ratione & causa quæ dicta est ab initio in dictione aristolochia quoniam parturientibus utilis sit. Illud uero alterum iontites habet à uiola, quæ ἴον dicitur, cui flos purpureo colore simulatur. Et hæc secundo generi conuenit appellatio. Ad uim ueneni.) id est contra uiolentiā, malignitatem & maleficium ueneni. Est autem uenenum quicquid assumptum aut tactum nocet, & naturam eius cui approximatur immutat. Quod in corpore operatur, testante Auerroë, aut qualitatibus primis, aut à tota substantia, aut fortitudine attractionis, aut uitæ calorem remouendo. Frigore exustis.) Vrit tū calor tum frigus, licet aliâs diuersæ & contrariæ sint naturæ: & similes in quibusdā locis esse æstus immodici & frigorum effectus, testatur etiam Plinius. Et utriusq; meminit etiam Vergilius inquiens,

Rapidiue potentia Solis

(Right margin: C.1. beside "Ad uim uene-"; 4. beside "Frigore exu-")

Acrior, aut boreæ penetrabile frigus adurat.

Item Q. Serenus libri medicinalis cap. 60. utriq; uſtioni mederi docens, ait,

Sunt diuerſa quidem mala frigoris atq; caloris,
Sed tamen amborum ſimili nocet ulcere uirus.
Illa quoq; uſta putes quæ ſunt niue læſa rigenti.

5 Morſus hominum.) Hominis morſum eſſe uenenoſum, ut hic prætēdit Apuleius, teſtatur etiam Q. Serenus medicinalis libri cap. 45. ubi illi mederi docet. Et Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 28. cap. 4. inter aſperrimos uel hominis morſum numerari tradit. Qui etiam pernicioſior eſt, ſi à ieiuno infertur, teſte Auicenna, qui ſexta quarti tractatu 4. ca. 2. ait, Deterior morſus eſt ille qui eſt à ieiuno ſiue ſit homo aut non homo, & maxime etiam ſi ieiuno inferatur. Nocet autem hominis morſus ſaliuæ morſo uulneri illatæ cauſa, non obſtāte quod natiui caloris ueſtigium quo cibi coctionem adiuuat, obtineat ſaliua. Verum quia alter alteri temperiem habet haud conformem, hinc fit, ut aiunt, quod ſaliua unius ſcilicet mordentis alteri morſo ſit noxia & uenenoſa. Denarij.) Denarius drachmę pondus eſt. Plinius lib. 21. circa finem, Drachma Attica, ferè enim Attica obſeruatione medici utuntur, denarij argentei habet pondus. Et Africanus medicus in tractatu de ponderibus & menſuris, poſt uariarum drachmarum enumerationem ait, Attica ergo utendū eſt quo ad pondus & numiſmata, ſiquidem pondere & facultate, ſiue ualore Italicæ par eſt, quæ denarius uocatur: plurimi enim nunc ferè in omnibus Italica utuntur. Hemina.) Hemina menſuræ genus eſt, & ſextarij medietas: cōtinet autem in ſe cyathos ſex. Pondere uero pēdet, uini quidem, ut Africanus tradit, uncias quatuordecim: olei uero, quo pondere in liquidis nunc cōmuniter utimur, uncias no-

6 uem: mellis autem uncias quindecim. Contriſtatus.) id eſt perturbatus, inquietatus & perterritus ceu plurimum illis accidit à ſtrigibus & mulieribus ueneficis, & dæmo-

dæmonijs, nocturnisq́ terriculamẽtis, quare in fine sub iungit, Fugato dæmonio. Canceromata.) Per cance- 7
romata cancrum intelligit & carcinoma, uitiũ quod non solum eam partem corrumpit quam occupauit, sed etiam serpit. Estq́ nunc cum ulcere, & cancer uocatur: nũc uero sine ulcere, & carcinoma dicitur: fitq́ maxime circa faciem, nares, aures, labra, & in fœminarum locis ac mammis sæpius, ut quę raræ, fungosæ humorem eius crassum facile excipiant, Celsus libro 5. Cypero.) Cyperus in iuncorũ genere est, caule anguloso & radice odorata. Cuius historiã & medicinam tradit Dioscorides lib. 1. cap. 4.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE NASTVRCII.

CAPVT XX.



GRAECI Cardamon, alij cynocardamon, alij iberin, alij cardaminam, Aegyptij semeth, Itali nasturcium. Lege eam mense Martio.

1 Ad caput deplendum.

Herbæ nasturcij succum naribus inijcies, caput deplet & de phlegmate purgat. Hoc nasturcium non seritur, sed per se nascitur circa ima parietum.

2 Ad capitis uitia, porrigines & furfures.

Herbæ nasturcij semen tritum & cum adipe anserino mixtum, albitionem furfuris de capite eijciet.

3 Ad cruditatem.

Herbam nasturcium & pulegium ex aqua decoctum bibere dato, emẽdabit & discutiet cruditatem.

4 Ad strumas.

Herbam nasturcium cum lomento tritam super strumas impones, superposito folio oleris.

5 Ad furunculos sanandos.

Herbam nasturcium cum fermẽto imponito, con coquit & sanat.

COMMENTARII.



ASTVRCIVM duorum generum est, unum satiuum, quo nunc communiter æstiuo tempore cũ lactuca, oleo, aceto & sale cœnas inchoamus. Alterũ est agreste, de quo maxime intelligit hoc capite Apuleius, quod uel hinc colligimus, quod post primam curationem subiungit, Hoc nasturciũ non seritur, &c. Nomen autem accepit nasturciũ, uti Plinius lib. 19. ait, à narium tormento. Et inde uigoris significatio prouerbio id uocabulum usurpauit, ueluti torporem excitantis. Cardamon.) Cardamon dictum uidetur à corde, quod à Græcis κϛδία nominatur, & in quo animi sedes est. Siquidem cordi utile & accommodatum est, & animi torporem exacuit. Et eadem est ratio aliarum appellationum, quæ sunt cynocardamon & cardamina.

Hiberis.) Hæc proprie agrestis nasturcij appellatio
C.2 est. Porrigines & furfures.) Porrigo quid sit, docet Serenus dum ait,

Est insensibilis morbus & noxia forma,
Cum caput immensa pexum porrigine ningit,
Copia farris uti frendentibus ædita saxis.

Et Corn. Celsus lib. 6. Porrigo, inquit, est ubi inter pilos quædam quasi squamulæ surgunt, eæꝗ à cute resoluuntur, & interdũ madent, multo sæpius siccæ sunt. Idꝗ euenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco: huic quoq; modo malo odore, modo nullo accedente: fereꝗ id in capillo fit, rarius in barba, aliquãdo etiam in supercilio. Videturꝗ Celsus hac descriptione duo porriginis genera

facere, unam humidam & cum exulceratione, alterã ficcam & fine exulceratione, quam à furfurum, quæ farinæ purgamẽta funt, fimilitudine furfures etiam uocant: nec Græcis alia ratio eft idem malum πίτυρα & πιτυρίασιν uocantibus. Sunt enim furfures malum, ubi fponte fua ex capitis fuperficie tenues & furfuraceæ fquamulę citra exulcerationem decidunt: quod malum fit fubeuntibus in caput malo corporis humore, falfáue pituita, aut biliofo & melãcholico fanguine, uti tradit Paulus Aegineta. Plinius Græcorum πίτυρα nunc porriginem, nunc furfures interpretatur. Albitionem furfuris.) hoc eft, furfures ipfos & fquamulas furfuraceas albicantes. Et hæc antiquiffimi exemplaris noftri fcriptura eft, licet in aliĳs aliter legatur, utpote, ablutione furfures: quã lectionem etiam non improbamus, fed prior magis nobis arridet. Cru 3
ditatem.) Cruditas dicitur cum cibus in ftomacho uentriculóue, aut ægre aut nullo modo concoquitur: Græci hanc ἀπεψίαν, illam δυσπεψίαν uocãt, fiuntq; ambæ communiter ex frigiditate aut fuperfluente ingurgitatione.

Lomento.) Lomentum appellatur farina fabarum, 4
ut fcribit Plinius lib. 18. cap. 12. Oleris.) id eft brafficæ potiffimum, quæ, ut inquit Cato, omnibus oleribus antiftat. Olus enim generaliter dicitur om̃is herba foliĳs intubo fimilis, cuius foliĳs & caule in cibo utimur. Theophraftus, Olera enim uocamus quæ in ufu cibario funt, ut intubum, aphaca, porcellia, fenecio, atq; in totũ quæcunq; intubacea funt propter foliorum fimilitudinem.

Fermento.) Fermentum quo pacto fieret antiquitus 5
& uarios eius modos tradit Plinius nat. hift. lib. 18. cap. 11. Nunc autem quemadmodũ & Pliniĳ tempore fit ex ipfa farina quæ fubigitur priufquam addatur fal ad pultis modum decocta, & relicta donec acefcat. Vulgo autem nec fufferuere faciunt, fed tantũ pridie afferuata materia utuntur, palamq; natura eft acore fermentari.

DE HIEROBVLBO.

CAPVT XXI.



NASCITVR ubiq; circa sepes, & locis quibus libet sordidis. Et has habet uirtutes.

1 Ad articulorum dolorem.

Herbæ hieribulbi accipito uncias sex, seui caprini tantundem, olei cyprini libram & uncias duas, in se pisatis & commixtis uteris, dolorem articulorum tollit.

2 Si mulier habuerit lentiginem in facie.

Herbæ hieribulbi radice cum lomento lupinaceo commixta, mulier si faciem lauerit, lentigines statim purgat.

COMMENTARII.



HIERON bulbon interpretantur bulbum agrestem, qui Græce colchicon & aliquando ephemeron appellatur. Nostro tempore hermodactylos uocāt. Bulbus est, ut Dioscorides lib. 4. scribit, qui autumni exitu florem profert albicantem, similem crocino, & post florē folia bulbo similia, pinguiora tantum. Caulem dodrantalem, ruffo semine. Radicem cortice subnigro, quo nudata, candida, tenera, dulcis & succo plena inuenitur. Habet bulbus ipse in medio diuisionem ex qua flos erumpit. Nascitur in Messania plurimum & Colchis. In cibo sumpta radix fungorum modo enecat. Ne fallat pro bulbo sumptum, descriptum à nobis id est. Ignari enim suauitate eius magnopere trahuntur. Hactenus ille. Dictus est autem hierobulbus, id est sacer, quasi grandis bulbus & magnus, qui ad medicinam est accommodatior, solentq; agrestia domesticis commu niter

niter maiora nasci. Græcos autẽ antiquitus quæ grandia erãt, ἱερὰ, i. sacra uocasse, haud in ambiguo est. Nã sic Homerus ἱερὸν ἰχθὺν, i. piscem sacrũ dixit, grandẽ et magnum intelligens. Sic medici os sacrum, & morbum sacrum, & Vergilius auri sacram famem, eo quod grandia essent, uocauerunt. Sic etiam nũc Apuleius hieronbulbon uocat agrestem, qui hijs qui edendo sunt, sit maior. Differunt enim non solum colore, figura & sapore, sed & magnitudine quoq; bulbi, autore Theophrasto lib. de plantis 7.

Locis sordidis.) id est locis nõ cultis, per quod agrestem intelligimus. Ad articulorũ dolorem.) Articuli C. I.
sunt corporum nodi, ut Plinius uocat, qui neruorum alibi interuentu, alibi ambitu, alibi transitu ligantur. Græci ἄρθρα uocant, & inde morbum ἀρθρῖτιν, id est articularem, qui articulos aut omnes aut plurimos infestat. Vnde Q. Serenus medicinalis libri cap. 37. ait, Si uero articulos tabes inimica per omnes hæserit. Quo morbo Ennium laborasse idem Serenus testatur dicens,

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc uitio tales fertur meruisse dolores.

Est autem morbus hic, ut scribit Galenus, inflammatio quæ circa articulos coit permanens, maleq; affectis neruis uehementissimos dolores adferẽs. Cuius species sunt ischias, podagra, chiragra, & id genus morborum alij, loco tantum differentes, nam ab eadem causa proueniunt, utpote ex humore crasso & pituitoso, cui aliquid bilis admixtum est, & neruos quibus nectuntur, & motum habent articuli, dolore afficiunt. Olei cyprini.) Oleum cyprinum est quod ex cypri flore conficitur. Cyprus autem arbor est, quam Romani ligustrum dicunt, cuius historia habetur apud Dioscoridem lib. 1. cap. 117. Lenti- 2
gines.) Lentigo quæ & lenticula dicitur, corporis macula est rubicunda & liuida, lenti non multum absimilis, unde & nomen habet: in fœminis præcipue se depromens, potissimumq; in facie, licet alibi etiam aliquando

fiat. Cui non multum dissimiles sunt uari & ephelides, quas curare penè ineptiæ sunt, sed eripi tamen fœminis cura cultus sui non potest. Porrò de his latius Cornelius Celsus lib. 6. Lomento lupinaceo.) id est farina lupinorum. Lupinus autē leguminis genus est, de quo Dioscorides lib. 2. & Plinius lib. 18.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE APOLLINARIS.

CAPVT XXII.

GRAECI Dercean, alij strychnon manicon, alij dorycnion, alij cacabon, Itali apollinarē, alij baccinam, Daci colida. Apollo hanc herbam fertur inuenisse, & Asclepio dedisse, & apollinaris nomen imposuisse.

1 Ad uulnera, chironia & araneorum morsum.

Herbam apollinarem cum axungia uetere sine sale libra una teres, & uinum uetus cyatho uno, sine fumo simul commisces, & facies quasi malagma, & uulneri impones, sanabitur mirifice.

COMMENTARII.

APOLLINARIS hæc est, non ea quæ alio nomine hyoscyamos dicitur, et tractata est superius cap. 4. sed solani species, quam Dioscorides libro 4. à Romanis apollinarem minorem uocari dicit, cuius historia habetur etiam inferius cap. 74. ubi strychni siue solatæ genera describit, è quorum numero hæc apollinaris existit, cuius appellationes & curationes nunc separatim ab alijs tractat, quemadmodum etiam in

aliis quibusdam herbis quæ plures habēt species aliquando facere cōsueuit. Cur autem dicta sit apollinaris, refert autor mox post nomēclaturas. Dercean.) Dercea dicta uidetur à uerbo Græco δέρκω, quod est uideo, eo quod contra hebetes oculos radicis succus cum melle utiliter inungitur, autore Dioscoride. Siue quod folia habet similia herbæ circeæ, quæ etiam dercea uocatur, & folia satiuæ uessicariæ, quam strychnon uocant, similia habere scribit Dioscorides lib.3.cap.126.& Plinius lib.27.cap.8.

Strychnon manicon.) .i.solanū furiosum. Mutuauit hoc nomen ex altera solani specie quæ proprie hoc nomine appellatur, dictū́q; sic est, eo quod ἔκστασιν ecstasin facit, ut tradit Dioscorides, quam Galenus in Diffinitionibus suis ὀλιγοχρόνιον μανίαν diffinit, hoc est pauci temporis insaniā. Cui & illud Plinij lib.21. cap.31. in strychni huius descriptione adstipulat, uidelicet, Halicaccabi radicē bibūt qui sunt uaticinandi callentes, q̄d furere ad confirmandas superstitiones aspici se uolūt. Cuius generis sunt quos phanaticos antiqui uocarunt, qui audito tympanorum aut cymbalorū aut aliorum lusoriorum instrumentorum sonitu circa templa discurrentes uaticinantur.

Dorycnyon.) Dorycnyon appellata est hæc herba ab infectione, quæ Græcis κνύος dicitur, & à ferratis lancearum cuspidibus, quas ijdem dorata δόρατα uocant, eo q̄d succo ipsius etiam cuspides in prælijs tingerentur & inficerentur, non minus quàm alterius, quod furiosum proprie dicitur, & insaniam facit solanū: de quo sic scribit Plinius, Hoc est uenenum quod innocentissimi autores simpliciter dorycnyon appellauere, ab eo quod cuspides in prælijs tingerentur illo passim nascente. Dioscorides & alij proprij generis plantam describūt, ex quibus uagum ad uarias herbas nomen dorycnyon fuisse apparet.

Baccina.) Baccina uocata est à baccis, hoc est, à semine baccineo.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CHAMAEMELI.

CAPVT XXIII.



RAECI quidam chamæmelon, alij partheni on, alij diacolean, alij chryſocalin, alij trochiſcon heliacon, alij aperiton, alij nympheon, alij hieranthemin uocant, Itali bene olentem, alij ſuperbam, alij auliticam, Aegyptij thaborin, Galli ouaſidiam, Campani amalociam, Thuſci apianam, Daci amaluſtam. Has uero habet uirtutes.

1 Ad oculorum uitia atq; dolores.

Herbã chamæmelon ſi quis ante Solis ortum carpſerit, & dicat, Ad albuginem oculorum te carpo ut ſubuenias, et eam alligatam ſecum geſtet, iuuat. Lege eam menſe Aprili.

COMMENTARII.



HAMAEMELON herba eſt odora, quam nũc uulgo camomillam uocant, ſic dicta quod mali odorem habeat: μῆλον enim Græcis malum eſt. Porrò genera eius tria ſunt, flore tantũ inter ſe diſtãtia, ut tradit Dioſcorides. Ramuli omnibus dodrantales, fruticoſi, multis alarum caulis: foliolis paruis, tenuibus & numeroſis. Capitulis in orbem circumactis, in quibus flores ſunt colore intus ad aurum inclinato, & qui tumentes in altum eriguntur: foris per ambitum circumpoſita folia quæ ad terram inflexa deſcendũt, habentes in triplici differentia, candida, aut melina & lutea, aut purpurea rutæ foliorum magnitudine. Naſcitur macris aſperisq; locis & ſecus uias & itinera. Colligitur per uer.

Parthenion.) hoc eſt uirgineam: ſic dicta, eo quod alteri herbæ, quæ proprie parthenion dicit, ſit ſimilis. Parthenion

thenion autē intelligo non illam quam Celsus lib.3. perdicion, sed quam Dioscorides à Romanis Solis oculum uocari tradit, & herbolarij nostri cotulam nunc dicunt. Diacolean.) Quod in impresso codice erat drycolaphon, nos ex ueteri exēplari nostro diximus diacolean, quasi Iouiam Venerem, sicq; dictam putamus ab odoris florum gratia & amabilitate: κῶλια enim Venus est. Διὸς genitiuus idē quod Iouis, cuius filia ex Dione fertur Venus, uoluptatum omniū dea. Posset & diocallia legi, quasi Iouis uenustas: κάλλος enim pulchritudo est. Et callia simpliciter à Dioscoride traditur dici. Chrysocalin.) A flauo auri colore sic appellata est, χρυσὸς enim aurū est. Et hæc appellatio in exemplaribus nostris nulla est. Dioscorides chrysocomen et callian quoq; dici ait, et quę parthenion dicitur chrysocalida. Trochiscon heliacon.) id est discū solarem. Sic dicta herba eo quod in floris medio luteus orbis Solis disci figuram ostēdat, folijs per ambitum radiatis: τροχίσκος enim rotula est & discus, ἥλιος sol. Apæriton.) Apæritos dicta uidetur quod ad eius usum omnis dolor mitigetur & discedat, à uerbo Græco ἀπαίρω, quod est discedo. Nympheon.) Nympheos nobis dicta uidetur à Musis, quæ Nymphæ dicūtur, propter floris uenustatem & eiusdem odoris gratiā & iucunditatem: unde à Latinis etiam herba bene olens & superba nominat. Hieranthemon.) .i. sacer flos: seu potius eranthemon, eo quod Vere floret, sic dictū. Et ita apud Dioscoridē etiā legitur. Cāpani.) Campani dicuntur qui Campaniam Italiæ regionem incolunt, in qua Neapolis regni caput est, Parthenope prius dicta. Albuginem.) Albugo est cicatrix oculorum altiuscula, sicuti in summo nubecula. Sed pro maiore albuginis notitia Galeni descriptionem ex Isagoge subijciā, quæ talis est. Cum nigra oculi parte ex profundo ulcere crassior & colore cādido superincurrit membrana, cicatrix est, quæ etiam fit in ea oculi membrana, quæ candida dicitur. Albugo aūt C.1.

cicatrici eadem eſt: differt tantũ quod in ea ex maiore exulceratione maior & craſſior ſuperuenit cicatrix, & in iride oculi circulo fit albugo. Paulus Aegineta ſimpliciter ſic rem tradidit, Quæ in ſumma oculorum ſuperficie cicatrices fiunt, aliqui eodem hoc nomine cicatrices dicunt, alij uero nubeculas, profundiores uero albugines.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CHAMAEDRYOS.

CAPVT XXIIII.



A GRAECIS chamædrys, alijs drys, alijs dryſſites, alijs teucrion, alijs chamærops, Itali trixaginem appellauere. Naſcitur locis montuoſis, petroſis & ſolidis. Lege eam menſe Auguſto.

1 Ad ruptos.

Herba chamædrys contuſa de ligno in lignũ, adiecto uino & potui data, cum mira celeritate ſanat.

2 Ad iſchiam.

Herba trixago ferueſacta, ac triduo potui data, iſchiaticum mirifice ſanat.

3 Ad ſerpentium morſus.

Herba chamędrys in puluerẽ molliſſimũ radacta, in uino ueteri potui data, uenena uehemẽter diſcutit.

4 Ad podagram.

Herba chamædrys ſi in puluerem molliſſimũ redacta eſt, cum aqua calida potui data, mirifice paregorian præſtat.

COMMENTARII.



CHAMAEDRYS herba eſt quæ Latine trixago dicitur, Teutonice *gamander*, altitudine ſpithames, id eſt dodrantali, quæ menſura eſt quantum à

ſummo

summo pollice ad extremum minimũ digitum patet explicita hominis manus: folia habet parua magnitudine mentæ, colore & figura quernis similia, gustu amara: flore pene purpureo & ipso etiam exiguo. Aliqui serratã uocarunt, & ab ea serram inuentam esse dixerunt. Carpitur semine & succo prægnans. Nascitur asperis & petrosis locis. Dicta est autem Græcis chamædrys, quasi coactæ breuitatis quercus quædam. χαμαὶ enim humile, terrestre & humi depressum quid significat, δρῦσ uero quercus est: quo nomine simpliciter hic eã quoq; uocari tradit, à quo etiam illi alia accessit appellatio drysites, quasi quercula.

Teucrion.) Teucrion appellata est, eo quod teucrio similis sit, autore Dioscoride. Chamærops.) Chamærops uocata est à uirgultorũ breuitate, & quod humi serpat: ῥῶπες enĩ uirgulta sunt Græcis. Ad ruptos.) Ruptos uocat, qui alio nomine herniosi & ramicosi, & Græce κηλῆται dicuntur. Quorum plures sunt differentiæ, de quibus copiose Celsus lib. 7. cap. 18. Ischiam.) id est, coxendicis dolorem et morbum, de quo dictum est supra cap. 11. curatione 2. Paregoriam.) παρηγορία, id est paregoria Græce est consolatio, hoc est, lenitio & mitigatio. C. 1. 2 4

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CHAMAELEONIS.

CAPVT XXV.



CHAMAELEONEM quidã Græcorũ nominãt, alij crocodilion, alij dipsacon, alij onocardion, alij cneoron, alij meletam, Prophetæ aphrodites lutron, alij calycẽ cardiacon, Aegyptij semmeor, Itali labrum Veneris, alij cinaram rusticam, alij statioron, alij morariã, Hispani analentidium, Daci sciaren, Aegyptij gerbaste, alij sapho.

1 Ad hepaticos.

Herbæ chamæleonis succus potui datus cum uino, febricitanti cum aqua calida, mire proficit.

2 Si quis uenenum sumpserit.

Herba chamæleon in puluerem redacta & in uino data, discutit uenenum.

3 Ad hydropicos.

Herba chamæleon & chamædaphne & chamædrys & chamæpitys æquali pōdere tusa & q̃ mollissime cribrata, si in potione uini mixti, iuuenib. cochlearia quinq;, uiris cochlearia nouem, item minoribus, puellis & mulierib. cochlearia tria, puerculis cochlearium unum dederis, mirifice aquam omnem de corpore per urinam digerit.

COMMENTARII.



HABENT omnes quos uidere licuit codices caput hoc sub chamæleæ nomine inscriptū, sed falso: nam de chamælea proprio capite agit infra sub nomine lacteridis, quare titulū nos mutātes, pro chamælea reddidimus chamæleonem, qui longe alia & à chamælea multum differens est planta, & plurium etiam generum. Vnus, cuius historia & appellationes habentur inferius cap. 109. sub nomine cardui syluatici: & is etiam duplex est, unus niger cognominatus, alter uero albus, et hic proprie chamęleon dicitur, & à Latinis carduus minor, ipsiq; ab aliis autoribus quæ præsenti capite ponuntur curationes & uirtutes attribuuntur. Est deinde alius chamæleon, à similitudine quadā sic dictus, qui Latine labrum Veneris & carduus magnus appellatur, cuius nomenclaturæ quoniam hic ponuntur, haud abs re fore duximus, historiam quoq; ipsius ex Plinio & Dioscoride subnectere, ne quis ipsam desideret. Est autē herba è genere aculeatarum, caule excelso, duorum cubitorum,

torum,ſpinis horrido:genicula eius binis oblõgis, lactucæ ſimilibus,& albis maculis aſperſis,et quę ueluti bullas ſpinoſas in dorſi medio habent, folijs amplectentibus: concauo alarum qua ſe in geniculis folia coniungũt, ceu pelue, ſinu, in quo rores ſalſi & pluuiæ aquæ ſubſiſtunt, unde & nomen inuenit (ſcilicet ut dipſacos nominaret) In cacumine caulium capitula ſunt in oblongo rotunda, echinata ſpinis,quæ cum aruerunt, cãdido colore fiunt. Florem fert qui purpuream lanuginem referat. Habẽt & capitula illa per longum diuiſa uermiculos in media medulla quoſdam.Naſcitur in aquoſis. Crocodilion.) Appellationis huius eadem eſt ratio quæ chamæleonis, qui labrũ Veneris dicitur, ſcilicet ſimilitudo ad herbam, quæ inter aculeatas proprie ſic uocatur. Dipſacon.) Dipſacos appellata eſt à ſiti, quam Græci δίψαν dicũt,uel quia humorem illum cõtra eam paratum ſemper habet, aut quia iuxta fontes & locis humidis naſcit. Onocardion.) id eſt aſininus carduus, facto illi ex Græca & Latina uoce nomine, ὄνος enim aſinus eſt. Meletam.) Meleta dicta uidetur à capitulorum figura oblongiori inſtar pomi, quod Græci μῆλον dicunt. Aphrodites lutron.) hoc eſt, ut inter Latinas appellationes habetur, labrũ Veneris: ἀφροδίτη enim Græcis Venus eſt, λουτρὸν uero uas aquariũ quo in balneis ad lauanda corpora utebantur, & quod labrum Latine dicitur: ſunt tamen non ſolum aquaria ſic dicta uaſa,ſed olearia quoq; & uinaria, in quæ oleum è cortina,& uinũ è lacu transfertur. Calycem cardiacon.) Calyx cardiacus appellata eſt à figura capitulorũ,quæ oblonga inſtar cordis exiſtunt, & baccæ roſaceæ antequam tota aperiatur: καρδία, enim Græcis cor eſt, κάλυξ uero roſæ baccam dum adhuc clauſa eſt roſa,& omne putamen in quo aliquid includitur, ſignificat. Cinaram ruſticam.) Quemadmodũ pro chamælea chamæleonem, ſic etiam pro cicere ruſtico cinaram ruſticam, id eſt ſyluestrem, reponẽdum cenſuimus, eo quod

spinæ albæ, quæ cinara syluestris etiã dicitur, sit quodam
C.I. modo similis. Ad hepaticos.) id est iocinorosos. Hepatici sunt, ut Galenus in Diffinitionibus ait, quos diutinus iecoris dolor comitatur cum tumore soliditateq́ue & corporis malo colore, in quibus & æstuosa accenditur febris cum ariditate linguę: alij tamen priuatim hepaticos dicunt, quibus ἄτονον, id est debile infirmumq́ue iecur est, quodq́ue amissa aut languente ui sua irritas functiones &
3 operationes suas habet. Digerit.) id est dispensat, deportat & educit cum urina per uesicam & uias urinales.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE CHAMAEPITYOS.
CAPVT XXVI.



GRAECI chamæpityn, alij orozelon, alij holocyrton, alij brion agrion, alij sideritin uocãt, Prophetæ hæma athenas, Itali abigã, alij cypressum nigram, alij rapam, alij spiculam, alij mãmalem, Aegyptij nemenespa, Daci dochela. Et habet quidem uires.

1 Ad uulnera.

Si recens fuerit uulnus, herbam chamæpityn contusam uulneri impones: si autẽ uetus & altius est uulnus, succum eius uel puluerem in uulnus mittes, miraberis bonum effectum.

2 Ad strophi dolorem.

Herba chamæpitys contrita et potui data, strophi dolorem tollit.

COMMENTARII.



CHAMAEPITYOS tria genera faciunt autores, quæ Plinius lib. 24. cap. 6. breuissime his uerbis describit, Chamæpitys Latine aiuga appellat, diciturq́ue

diciturq; propter abortus ab alijs thus terræ: cubitalibus ramis, flore pinus & odore. Altera leuior & incuruæ simi lis. Tertia eodem odore, & ideo nomine quoq; paruula, colliculo crassitudine digitali, folijs scabris, exilibus, albis, in petris nascēs. Quæ tamen genera ut clarius perno scantur, nam satis succincte à Plinio descripta sunt, Dioscoridis quoq; historiam, quæ apertior est, de hijs subiun gam, quæ talis est. Serpit per terram herba incuruæ simi lis, folia habet minori sedo similia, multo tamen tenuiora, hirsuta, & circa ramulos frequētia, odore pityos (hoc est pinus aut piceæ, utroq; enim nomine interpretatā reperio Græcorū illam πίτυν) flores paruos, colore luteo, radicē cichorij. Altera est ramis cubitalibus ancorarum modo inflexis, fruticosa. Similem prædictæ comā habet, florem tamen candidum. Semen nigrū, odore pinus aut piceæ. Est & tertia quæ mascula appellatur, herbula folio lis tenuibus, candidis & hirsutis. Caule aspero, candido. Flosculis luteis. Seminibus secus alarum caua. Piceā siue pinum & hæc olens. Vires habet priori similes, sed non adeo efficaces. Dicta est autē chamæpitys, quasi humilis & breuis, humiq; depressa pinus seu picea: nominisq; ratio fuit quod folia ipsius pinū piceámue olēt. Estq; longe alia chamępitys hęc ab ea quā nostri tēporis herbarij sub eo nomine uendunt, odore nullo, flosculis subglaucis.

Orizelon.) Orizelos dicta est, q̊d in montibus lubēs nascatur & locis mōtuosis: ὄρος mons est, ζῆλος uero amor, amat enī montuosa loca. Holocyrton.) Sic appellata est quod tota humilis sit & incurua, præsertim altera species, quæ, ut Dioscorides & Plinius tradūt, incuruæ simi lis est: ὅλος totus est, κυρτὸς uero gibbosus & curuus.

Bryon agrion.) hoc est, bryoniā syluestrem, ob simi litudinem quādam ramulorum adinuicem inflexorum.

Sideritin.) Sideritis nuncupata est, eo quod uulnera ferro facta conglutinet, à ferro, quod Græcis σίδηρος dicitur. Hæma athenas.) hoc est, sanguinem Mineruæ

uel Palladis: ἅιμα, enim sanguis est, ἀθλωᾶ uel ἀθλών Minerua & Pallas. Abiga.) Abiga uocata est, eo quod aluũ purget, & in fœminis muliebres locos, autore Dioscoride. Cupressus nigra.) Sic dicta est à similitudine odoris & foliorum, quæ tamen nigriora sunt folijs cupressi. Spiculam.) Spiculam appellauit à similitudine foliorum quæ habet tenuia instar spicæ. Mammale.) Mammalis est uocata, eo quod mammarum durities discutit,
2 ut ait Dioscorides. Strophi.) Strophi dicuntur dolores graues, qui ægrotum circumagi & flecti cogunt, Latini tormina dicunt à torquendo. Suntq; non certum aliquod morbi genus constituentes, sed alterius comites, & quæ morbis alijs superaccedunt symperomata.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CHAMAEDAPHNES.

CAPVT XXVII.



HAMAEDAPHNE à Græcis quibusdam daphnites, aliquibus uero daphne, alijs hydragogos seu caragogos dicitur, Itali mustellaginem dicunt, alij lactilaginem & lauraginem, Galli eugubim, usiben.

1 Ad aluum concitandam.

Herba chamædaphne in puluerem redacta mollissimum, & in aqua calida potui data, aluũ concitat.

COMMENTARII.



VALIS herba sit chamædaphne, docet nos Dioscorides lib. 4. cap. 140. & Plinius lib. 24. cap. 15. Herba scilicet singulari & unico ramulo & cubitali ferè, recto & cum leuore gracili: folio tenui, lauri similitudine, sed maiore leuore & uiriditate: semine seu fructu rotundo, rubente, folijs adnato. Ex qua descri

descriptione facile intelligere est chamædaphnen nō esse fruticem, quē nunc uulgo laureolā, & Germani *zyland* dicūt. Nam hęc est quam Dioscorides daphnoiden uocat, & de qua infra agit Apuleius cap. 58. sub nomine uictoriale. Neq; est herba illa quam nunc uulgo uincam peruincam nuncupant: licet Plinius lib. 21. cap. 11. & 27. chamædaphnen sic etiam nominari dicat, quam enim nostri temporis herbarij uincam prouincam appellāt, ea est quam Dioscorides lib. 4. cap. 7. clematida uocat, & à Germanis *ingrüne* siue *wintergrüne* dicitur. Cæterum dicta est chamædaphne quasi humilis & terrestris laurus: δάφνη enim laurus est: idq́; quoniam laurinis folijs similia folia habeat: quæ causa etiam fuit, ut daphnitis quoq; & simpliciter daphne, & Latine laurago diceretur. Hydragogos.) Hydragogos dicta est quasi aquæ & humorum subductiua, eo quod aquam ẹ corpore expellat: ὕδωρ enim aqua est, ἀγωγὸς ductor. Porrò in uetustis exemplaribus non hydragogos sed caragogos scriptum est, sicq́; dici potuit q̄d caput, quod Græce κάρα dicitur, à noxijs humoribus expurget. Mustellaginem.) Mustellaginis nomen à lauro sortita est, quā Pompeius Leneus, eo quod mustaceis subijceretur, mustacem appellauit, ut autor est Plinius.

Lactilaginem.) Lactilago dici potuit quod iucundo sapore, ceu lac, in cibi usu aliquando fuerit, quod & Paulus Aegineta testatur lib. 6. de ea sic inquiēs, αὕτη καὶ ἐσθίεται, quod est, hæc etiā comeditur. Et lib. 1. cap. de olerum asparagis ait, παραπλησίως δὲ καὶ ὁ τῆς χαμαιδάφνης ἀσπάραγος, hoc est, nutrit similiter etiā & chamędaphnes asparagus.

DE OSTRIAGINE.

CAPVT XXVIII.



NAscitur ostriago circa monumenta, aut in monumentis, aut parietibus qui sunt circa montium radices.

1 Ad ea quæ in homine naſcuntur.

Herba oſtriago tuſa & impoſita omnes res quę in corpore naſcuntur, perſanat. Hanc herbam ſi uolueris euellere, mundus ante Solis ortum facies. Leges eam menſe Iulio.

COMMENTARII.



OSTRIAGINEM hanc eſſe herbam quã Dioſcorides lib. 4. cap. 12. & Plinius lib. 27. cap. 10. ſub holoſtei nomine tractant, ex natalibus eius colligere licet. Nam quod Dioſcorides in tumulis & Plinius in collibus terrenis naſci tradit, idem eſt illi q̃d hic in monumentis aut parietibus qui ſunt circa montiũ radices naſci dicit. Eſt autem, ut illi tradunt, herba breuis tribus quatuórue digitis ſupra terram ſe extollẽs, ſine duritia, ex aduerſo appellata à Græcis, ſicut fel dulce: tenui radice uſq; ad capillamẽti ſpeciem, longitudine quatuor digitorum, ceu gramen aut cornicis pes herba folijs & uiticulis anguſtis: aſtringens guſtu. Cæterũ dicta eſt oſtriago à teſtarum oſtreorum duritie, ex aduerſo, quum teſtæ duræ ſint, herba uero hæc tenera, fragilis, longeq; à teſtacea duritie aliena. Holoſteon uero eadẽ ratione eſt dicta, quaſi tota oſſea, quum nihil minus ſit: ὅλος enim Græce idem eſt quod totus: ὀστέον uero ijſdem os ſignificat.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE BRITANNICAE.

CAPVT XXIX.



A GRAECIS dicitur britãnica & damaſonios, Itali britannicam, alij betam plantaginis, alij bibonem uocant.

1 Ad uitia quæ in ore naſcuntur.

Herba britãnica ſumpta uiridis† ut lactuca ſanat. Et per

† aliàs in modum lactucæ

Et per se tritæ & expressæ succus in ore si cõtineatur, nec aliquid ex eo deglutiatur, æque proficit.

2 Ad oscedinem.

Herba britãnica sumpta uiridis oscedinem tollit, uel si uiridem non habueris, etiam arida cõtusa cum uino ad mellis crassitudinem, eodem modo sumpta, eundem effectum habet.

3 Ad dentium dolorem, & si laxi fuerint dentes.

Herba britannica mira quadam potentia succurrit. Reponẽdus autem est in hyemem succus uel puluis eius: non enim semper apparet: succum uero eius seruabis in uase argenteo & calefacito, & puluerem quoq; reponito: nam ad eosdem usus cum uino sumptus æque efficaciter prodest.

4 Ad paralysim.

Herbam britãnicam uiridem cum sua radice contusam ex uini meri optimi cyathis duobus uel tribus potui sumptam, mirifice proficere dicimus.

5 Ad aluum concitandam.

Herbæ britãnicæ succum pro uiribus cuiusq; potui dabis, per se purgat uentrem sine periculo.

6 Ad splenem.

Herba britannica uiridis cum radicibus contusa in uini meri optimi cyathis duobus uel tribus, mire proficere creditur.

7 Ad anginam, quam Græci synanchen uocant.

Herbæ britannicæ flos antequam tonitruum audiatur collectus, qui eo usus fuerit, per totum annum

anginam non experietur.

COMMENTARII.


ERBA britannica, cuius florem, ut Plinius refert, uibones uocant, folia ha[illegible]t oblonga syluestri lapato similia, nigriora ta[illegible]tum, hirsutioraque, sapore adstringente. Cau[illegible]em non adeo grandem. Radicem tenuem, breuem & nigra[illegible]. Quæ nominis ratio & causa sit, non adeo manifestũ est: nisi quod Plinius lib. 25. cap. 3. sic scribit, Frisij quà castra erant nostris demonstrauere illam. Miror quidem quæ nominis esset causa, nisi forte confini Oceano Brittaniæ ueluti propinquæ dicauere. Nõ enim inde appellatã eam, quoniam ibi plurima nasceretur, certum est. Damasonios.) Sic dicta est à similitudine foliorum alismatis, quod etiam damasonium dicitur, & plãtagini similia folia habet, quemadmodũ britannica, quæ agrestis lapatij folio, quod plantaginem refert, similis est. Betam plantaginis.) Sic etiam dicta propter foliorũ similitudinem. Bibonem.) Est & hæc demum appellatio à foliorum similitudine facta. Nam, ut in historia britannicæ nunc dictum est, herba hæc agresti rumici siue lapatho similia folia habet. Bibone autem agreste lapatium dicitur, autore Pãdectario. Nisi uibones legere malueris, quo nomine florem uocari
C. 1. ab aliquibus refert Plinius, uti ab initio dictum est. Ad uitia quæ in ore nascuntur.) hoc est, ad oris ulcera quæ ex intrinseco ipsius uitio fiunt & generantur, licet etiam aliunde ceu ex quorundam fontium aqua pota cõtractis oris malis utilis sit eadem reperta herba. Nam, ut Plinius tradit, In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis maritimo tractu fons erat aquæ dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, cõpagesque in genibus soluerentur. Stomacaccem medici uocabant & scelotyrben. Ei malo reperta auxilio est herba, quæ uocatur britannica, non neruis modo & oris malis salutaris,

ſalutaris, ſed cõtra anginas quoq; & ſerpentes. Hactenus ille. Ad oſcedinem.) Oſcedo eſt oris uitium, ubi quis 2 frequenti oſcitatione & oris extẽſione tenetur, quod Germani *gynen* dicunt, ab oſcitãdo ſic uocatum. Oſcitare uero eſt os comm[illegible]ere & aperire totum, ceu fit præ ſomno aut tædio. Eſtq; oſcedo ſiue oſcitatio proprie halicũ ſpecies. Halice uero, quam multi halen, Lati anxitudinem ſiue pandiculationem nominant, eſt affectio tum in ſanis, tum maxime in affectis & iam decumbentibus, cum ſcilicet toto corpore quis extenditur. Auicẽna oſcitationem ſiue oſcedinem dicit eſſe motum halicum, quæ accidit in muſculis mandibularum atq; thoracis. Quæ autem huiuſmodi affectionum cauſa ſit, docet idem fen tertia primi, doct. 2. cap. 13. Argenteo.) Sic exẽplaria noſtra ha- 3 bent, & non abietino, ut impreſſus codex: & melius quidem. Nam in ligno ſeruati ſucci aut pulueres, uim ſuam amitterent. Calefacito.) Vide num potius legendum ſit, ut putamus, areſacito. Vtcunq; tamen intelligit ſuccũ eius, & præſertim foliorum, in Sole aut ad ignem calefaciendo denſandum, ſic enim diutius integer & incorruptus ſeruatur. Ad anginam.) Angina, quæ Græce ſy- 7 nanche dicitur, quatuor generibus diſpartitur. Primum ubi fauces inflammantur, id eſt, interior oris locus ubi ſimul conueniunt & gulæ & gutturis partes extremæ. Alterũ cum neq; fauces, neq; reliquæ oris partes, neq; etiam externarum partium ulla inflammata uidetur, laborans tamen ſuffocationis periculũ in gutture ſentit. Tertium, ubi extrinſecus circa fauces inflammatio apparet. Quartum, ubi gutturis partes, tum externæ, tum interiores ſimiliter affectæ ſunt. Sed de hĳs plura in præſagĳs Hippocrates & eius interpres Galenus.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE LACTVCAE SYLVATICAE.

CAPVT XXX.


RAECIS thridax agria dicitur, alijs hieracion, aliis † aspidelon, aliquibus picris, Aegyptijs iobonsos, Italicis lactuca syluatica. Nascitur locis cultis & sabulosis.

alias aspideiō.

1 Ad oculorum caliginem.

Dicunt aquilam quum in altum uolare uoluerit, prospicere rerum naturas, lactucæ syluaticæ folium euellere, & succo eius sibi oculos tingere, & maximā inde claritudinem accipere. Herbæ igitur lactucæ syluaticæ succū cum uino optimo uetere & melle † acapno, quod sine fumo collectum est, mixtum in ampullam uitream condito, & eo utaris, summā medicinam experieris.

alias Attico.

COMMENTARII.


ACTVCA syluatica hæc est, quam Plinius libro 20. cap. 7. inter lactucas sponte nascētes ultimā describit folijs rotundis & breuibus, quā Dioscorides & Græci hieraciam uocant. In lactucarū censum & nomen ascita, quod lato & amplo quali lactuca folio sit, & incisa candidum succum, lactisq́ liquorem aliquem reddat. Nam ut Palladius in mense Ianuario inquit, lactuca dicta est quod abūdantia lactis exuberet. Est autem lactuca syluatica, ut lib. 3. cap. 66. illam describit Dioscorides, herba caule aspero, rubente, spinoso & concauo: folia habet per interualla, raris diuisuris per ambitū scissa, betæ similia, & in oblongis capitulis flores luteos. Thridax agria.) id est lactuca agrestis. Hieracion.) Sic appellata est ab accipitribus, q̄s Græci hieracas uocant, quoniam accipitres scalpendo eam, succoq́ oculos tingendo obscuritatem cum sensere discutiant, ut refert Plinius. Aspideion.) Aspideion seu mauis aspidelon, idem enim erit, dictum uidetur quod aspidis & re

liquorum

liquorum serpentium ictibus medetur. Picris.) id est amara, sic dicta propter foliorum succum qui gustu amarus sentitur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ARGEMONIAE.

CAPVT XXXI.



A GRAECIS dicitur arsella, itē sarcocolla, Romani argemoniam dicūt. Quæ has uirtutes habere memoratur.

1 Ad oculorum uitia siue dolores.

Herba argemonia uiridis per se trita, & si arida fuerit in aqua calida intincta ut facilime teri possit, illita suggillationes et liuores oculorū mature discutit.

2 Ad uentris dolorem.

Herbam argemoniā uiridem cum sua radice tritam & potui datam prodesse dicimus & in omni loco iuuare. Si aūt arida fuerit aqua tepida infusa, idem proficere creditur.

3 Ad uulnera, ulcera & canceromata.

Herba argemonia uiridis trita & apposita, omnia uulnera, ulcera & canceromata facile † sanare aptā est. Si autē arida fuerit, aqua tepida infusa, idem proficere creditur. alias curat.

4 Ad luxum.

Herba argemonia contrita & apposita mire doloribus uel tumoribus ex luxu concitatis succurrit.

5 Ad morsum serpentis & scorpionis percussum.

Herba argemonia drachmis duabus in uini cya-

this duobus potui data, mirifice discutit uenenum.

6 Ad percussurã ferro uel sude factã.

Herba argemonia contusa & imposita mirifice sanat.

7 Ad uerrucas tollendas.

Herba argemonia in aceto tusa & imposita, mirifice tollit.

8 Ad splenis dolorem.

Herba argemonia in cibo sumpta, splenem consumit.

9 Ad ea quæ secanda sunt.

Herba argemonia contrita & imposita, aperit & persanat.

COMMENTARII.



RGEMONIA hæc herba est agresti papaueri similis, folia habens anemones incisuris diuisa, florem in cauliculo puniceum, & caput papaueris syluestris, oblongius tamen & in superiore sui parte latius, radicem rotũdam, succo croci colore, ui acri et acuta. Nascitur in aruis. Et hæc autoribus Plinio lib. 25. & Dioscoride lib. 2. argemoniæ historia, ex qua liquido & luce clarius constat herbam illam, quæ nunc uulgo sub argemoniæ, siue ut uulgus loquitur, agrimoniæ nomine circumfertur & in usu est, atq; sub eupatorij nomine à Dioscoride describitur, non ueram, sed longe aliam esse à uera hac argemonia: nihil enim cõmune habent in quo conueniant: quemadmodũ nec ea quæ nunc falsò sub eupatorij nomine se uendit, commune quid habet cum uera eupatorio, quæ nunc sub argemoniæ siue agrimoniæ nomine perperam in medicinæ usum uenit. Cæterum argemonia nostra de qua hic agitur, sic appellata est, quoniam oculorũ ac uisus malo, quod Græci argema

gema dicunt, illita medetur. Arsella.) Arsella dicta uidetur à uerb[illegible]ω, quod est conglutino, eo quod uulnera cõglutine[illegible] quemadmodum etiam sarcocolla dicta est, quoniam car[illegible]es cõglutinet: σὰρξ, κος enim caro est, κόλλα uero glutinu[illegible] Suggillationes.) id est percussiones, C.1.
& ex percussu liuores & maculas liuidas. Mature.) id est celeriter. Ad luxum.) id est luxatũ & solutum, cui 4
membra suis locis mota sunt. Luxata enim mẽbra dicuntur, quæ cum suo loco mota ossa legitimos naturæ in ea parte motus cum dolore impediunt: Græci à torquendo στρέμματα dicunt. Mouentur autem sedibus suis ossa duobus modis. Nã modo quæ iuncta sunt inter se dehiscunt, modo articuli suis sedibus excidũt. Sed de his copiosius Celsus medicinæ lib.8. cap.11. Ad uerrucas.) Verruca 7
cutis malum est, quod Græci πῶρον dicunt, estq́ superęminens in corpore ceu globulus durior, & rotunda eminentia callosa, tuberculumq́ in summa cute ex atra bile proueniens, cuius sanguis suo contactu alias quoq; facit. Sunt eius genera uaria proprijs distincta nominibus ceu acrochordones, thymion, myrmeciæ, & clauus: de quibus plura Celsus lib.5.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ASPHODELI.

CAPVT XXXII.



A GRAECIS dicitur asphodelos, Latinis hastula regia, aliquibus albucus. Has uirtutes possidet.

1 Ad dolorem tibiarum uel pedum.

Herbæ asphodeli radicum succo & oleo amygdalino unges quod dolet, mirifice sanabitur: etiam si tumores fuerint, ipsam tusam & subactam impones.

2 Ad hepatis dolorem.

Herbæ aſphodeli radicē decoquō, uel ſ aqua mulſa potui dato, hepatis dolorem mirificè pollet.

COMMENTARII.



ASPHODELVS plāta eſt nota, folia habens grandi ſiue agreſti porro ſimilia, oblonga & anguſta: caulem cubitalem, leuem, in cuius ſummo flos eſt purpuraſcens odorus, qui, teſte Dioſcoride, anthericos dicitur: licet Pythagora & Theophraſto autoribus, caulis ipſe anthericos dicatur, & radix, id eſt bulbi aſphodelos. Sed Romani, teſtante Plinio, caulem albucum, aſphodelon uero haſtulam regiam uocauerunt. Semen fert lignoſum, figura triquetrum, colore nigrum. Radices illi ſunt plures, oblongæ, teretes, glandibus ſeu napis modicis ſimiles. Germani à colore auroſo *goldwurtz* dicunt. Fuitq; olim quod nunc uix credat aliquis, in cibi uſu radix, teſtantibus id Heſiodo in lib. qui Opera & dies inſcribitur, & Theophraſto lib. 5. de hiſtoria plantarum, item Plinio in hiſtoria naturæ lib. 21. cap. 17. Haſtula regia.) id eſt, uirga & ſceptrū regium ob caulis floreſcentis excellentiam, & quia herbarum clariſſima, quam ob cauſam & heroion aliqui appellauerunt, uti teſtatur Plinius libro & cap. 22.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE OXYLAPATHI.

CAPVT XXXIII.



A GRAECIS oxylapathon uocatur, Itali lapathon acutū pro uocabuli ethymo nominăt.

1 Si qua duritia in corpore orta fuerit.

Herba

Herba oxylapathon cum axungia uetere † suilla pisata, & e[...] pane domestico facta ut malagma, & imposita, mir[...] sanat. *alias ouilla.*

COMMENTARII.



OXYLAPATHVS dicta est quasi acuta rumex: lapathon enim rumex est, ὀξὺ uero acutum dicitur. Nascitur autem palustribus locis, duris & in cacumine acutis folijs, ut tradit Dioscorides. Porrò de oxylapatho & alijs lapathi generibus dictũ est etiam supra cap. 13. Pro uocabuli ethymo.) id est, pro interpretationis & significationis nominis more & consuetudine atq; ratione. Cæterũ hoc in exemplaribus nostris non habetur.

NOMINA ET VIRTVTES CENTAVRIAE MAIORIS.

CAPVT XXXIIII.



A GRAECIS dicitur maronion, alijs nessíon, alijs pelethronia, quibusdam limnites, Prophetæ hæma heracleos, alij chironiam, alij limnestin, alij apogorisapon, alij poly hydion, alij hemeroton, Aegyptij antiamas, Itali fel terræ, siue uneferam.

1 Ad hepatis dolorem.

Herba centauria maior in uino decocta ac potui data, mirifice auxiliatur.

2 Ad splenetícos.

Herba centauria maior in uino decocta & potui data, splenem persanat. Nos ipsi experti sumus.

3 Ad ulcera & canceromata.

Herba centauria maior cõtrita & imposita tumorem fieri non patitur.

4 Ad suggillationes & dolores.

Herbæ centauriæ maioris succus uel inctus ex aqua, summe facit.

5 Ad uulnera recentia.

Herba centauria maior tam efficax est ad plagas glutinandas, ut etiam carnes cohærescant, quæ ex aqua eius coquuntur.

COMMENTARII.



MIRVM est tamdiu latuisse medicos & herbolarios, & adhuc etiam multos ignorare quænam planta sit centauria maior, ipsosq; longe alia & diuersa herba usos pro centauria hac fuisse, quum tamen in multo usu et honore atq; pretio eam semper habuerint, & adhuc nostro tempore etiam habeant: sed ignorãtes ipsam esse centauriã, alienoq; hoc est rheupontici nomine, cuius radici assimilatur, appellantes. Nã quam uulgo nunc omnes rheuponticum uocant, ea uere est centauria maior, multi usus cõtra iecoris atq; lienis mala. Estq; alia ab ea quã Dioscorides lib.3. cap.3. rha simpliciter uocat, & à Romanis rha Ponticum appellari tradit, & nunc etiam rheubarbarum dicitur, longo tempore ignota radix, & centaurio huic maiori similis, nisi quod cõmanducata pallescit, & luteum croci colorem aliquem refert, quum centaurij radix succo rubescat. Estq; alia etiã à rheubarbaro, quo nunc diu ex India allato usi sumus: licet effectu sint non dissimiles, uti experiẽtia quoq; in nobisipsis & uenerabili domino Christanno Rastio monasterij Isinensis Priore benemerito, qui ipsam plantãdo in honore habet, compertũ habemus. Sed ne longius à centauria discedamus, quali effigie sit plãta, ex Plinio & Dioscoride ipsam describemus. Habet autem folia iuglandis nucis folijs similia, lata & oblonga, serrata ambitu, densa ab radice: caules duûm aut trium aliquando cubitorum, geniculatos, in quibus capita ceu papauerum in rotũdo

oblonga.

oblonga. Florem ad cæruleum inclinatum, cnicoq́ simi le semen uel ... lanis in flore inuolutum. Radix illi est uasta, ponderosa, ... rubescens, tenera, fragilisq́, ad bina cubita longitudine, madida & succosa, succo rubescēte, amara cum quadam dulcedine. Nascitur in collibus pingui solo. Laudatissima in Arcadia, Helide, Messenia, Pholoë & Lyceo, atq; in alpibus, pluribusq́ locis in Lycia, item Peloponneso & Smyrna. Cæterum dicta est centauria à Chirone Centauro, qui ea curatus dicitur cum Herculis exceptus hospitio pertractāti arma, sagitta excidisset in pedem: quare aliqui etiam chironion uocauerunt, uti tradit Plinius lib. 25. cap. 6. siue ut sequenti capite uult Apuleius, quod eas Chiron inuenerit. Maronion.) Maronion appellatū est à Thraciæ monte Maronio & ciuitate Maronia, quoniam plurima aut probata illic nasci tur. Nessíon.) Quemadmodum à Chirone Centauro chironia, sic etiam à Nesso siue Nesseo, qui Centauri fuerunt, nessíon appellata est centauria. Pelethronia.) Sic dicta est à monte Thessaliæ, ubi Lapithæ quondam equitandi artem, cuius ipsi periti, alios docuerunt, inter quos & Chiron Centaurus censebatur. Limnitis.) id est paludalis & stagnalis: sic dicta quod secus aquarum scatebras & paludes, quas Græci λίμνας dicunt, nascit. Et eadem est ratio cur aliqui eandem limnestin uocauerunt & limnesion. Hæma heracleos.) id est sanguinē Herculis. Quo nomine appellata est, eo quod, quemadmodum Hercules immania monstra illa edomuit: sic etiam herbæ huius radix à quacūq; humani corporis parte fluentis sanguinis impetus domat & consistere facit: seu quod radix ipsa & succus eius sanguinis modo rubescāt. Polyhydion.) id est multiaqueam & succosam: succo enim plena est illi radix, & locis succosis ac pinguibus lubens etiam nascitur. Hemeroton.) Sic dici potuit à mansuetudine & dulcedine quadam saporis quæ in radice sentitur: licet enim sapore sit acri & stipticante, nihilo-

minus tamen dulcedine aliqua participat, ἥμερος autem Græcis mãſuetus dicitur. Fel terræ.) Appellatio hæc ex minore cẽtauria maiori adiecta eſt co[illegible] ſenſu. Cõſtat enim re ipſa maioris radicem dulci qu[illegible]dam modo ſapore dotatam, minoris uero amaro: quare fel quod amarum eſt, minori & non maiori conuenit, quod Plinius etiam teſtatur ubi de minore agens dicit, Hoc centaurion noſtri fel terrę uocant, propter amaritudinem ſummam.

NOMINA ET VIRTVTES
CENTAVRIAE MINORIS.

CAPVT XXXV.



ESt & centauria minor, à Græcis elleborites uocata, Prophetæ hæma heracleos, Aegyptij amaranthum, Daci ſtirſozila, Itali febrifugiam, alij multiradicem. Chiron Centaurus has herbas duas inueniſſe, & eas Aſclepio dediſſe fertur, unde & nomen centauriæ tenent. Naſcuntur locis ſolidis & fortibus.

1 Ad uiperæ morſum.

Herbæ centauriæ minoris puluer in uino exhibitus, aut ipſa piſata in uino ueteri & potui data, ualidiſſime proficit.

2 Ad oculorum uitia.

Herbæ centauriæ minoris ſucco oculos inunges, aciem oculorum extenuatam ſanat, adiecto etiã melle mirifice idem proficit: caligantibus quoq; oculis & claritas reſtituitur recte facile. Ne quis in hoc periculum incidat, centauriæ minoris manipulum in uini congio coquito, ac triduum maceratum eximito, inde cottidie ad heminam mellis Attici mixtum, ieiunus bibat.

Ad

3 Ad auriginem.

Herbam centauriam minorem decoque in aqua ad tertias, & ex ea dabis bibere quantum poterit, sanabitur.

4 Ad lumbricos & tineas.

Herbæ centaurię minoris succum dabis ut supra, miraberis bonum effectum.

5 Qui uenenum sumpserit.

Herbam centauriam minorem ex aceto tritam dabibat, mox discutit uenenum, Item centaurię radices pondere denarij unius in tribus cyathis uini bibatur.

COMMENTARII.



ENTAVRIA minor herba est minutis folijs, hyperico aut origano similis, angustioribus et longioribus folijs: caule angulosο, paululum alto fruticante: flore in puniceo lychnidis colore purpurascēte: semine tritico simili: radice parua, tenui & superuacua, nulliusq; usus: succo efficax & gustu amara, autor Plin. & Dioscorides. Elleborites.) Elleborites ab elleboro dicta uidetur, id tamen qua ratione, haud satis compertum est, nisi quis saporis quandam similitudinem in causa esse uoluerit, qui tamen in centauria hac amarus, in elleboro acer & feruidus est, siue quod flore purpurascēte sit utrunq;. Ab elleboro item huc irrepsisse uidetur & altera appellatio quæ est multiradix, licet centauriæ minus bene cōueniat: una enim tantum radice nititur centauria, non pluribus uti elleborus. Febrifugiam.) Febrifugia dicta est, eo quod febres fugat & procul à corpore pellit, estq; nunc multo in usu contra febres.

Chiron Centaurus.) Hic Saturni & Phyllirae fuit filius, qui & Centauros & omnes ætatis suæ homines bonitate & iustitia antecelluit. Nauigauit cum argonautis, quorum medicus fuit. Medicinam & herbarum uires in-

uenit,& ab eo medicinam didicit Aesculapius, quod hic
innuit Apuleius, cum Chironem herbas has Asclepio,
qui Aesculapius est, tradidisse refert. Qui Aesculapius A-
pollinis filius, quoniam adhuc rudem & uulgarem medi
cinam paulò subtilius excoluit, in deorum numerum re-
C.2. ceptus est, ut refert Celsus. Manipulum.) Manipulus
dicitur à manu, manualis herbæ fasciculus. Congio.)
Congius, qui Latine chus dicitur, mẽsuræ genus est, con
tinẽs sextarios sex: sextarius uero lances siue cotylas, quæ
& heminæ dicũtur, duas. Cotyla uero diuiditur in duo
acetabula, acetabulum in tres cyathos, cyathus uero in
quatuor mystra, cochlearium autem mystri dimidiũ est.
Amplius chus pondere uini quatuor & decem librarum
est, olei nouẽ, mellis quinq; & decem. Sunt enim cuiusq;
materiæ mensurarum pondere plurimæ differentiæ, au-
tor Africanus. Sed alij, ceu Vegetius & Priscianus in ulti
mis mensuris nonnihil uariant, dicentes mystri tertiam
3 partem esse cyamen, quæ duo cochlearia capit. Ad au-
riginem.) id est ictericiam. Dicta est autem aurigo à pal
lore auri, quem bilis per uniuersum corpus fusa repręsen
4 tat. Ad lumbricos & tineas.) id est contra uentris ani
malia & uermes, qui à lubricitate lũbrici dicti sunt, & ali-
quando tineæ appellãtur, ceu apud Q. Serenum, & non
raro apud Plin. Et per has duas appellationes omnia uer
miũ genera quæ in corpore humano generant, intelligit.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE PERSONACIAE.

CAPVT XXXVI.


RAECE prosopites aut prosopes uocata est,
alijs bacchion, alijs elephãtosis, alijs elephas,
alijs nephelion, Itali personaciam, alij darda
nam, alij manifolium, Galli betilolen, Daci riborasta.

Ad

1 Ad morſus ſerpentium.

Herbæ perſonaciæ ſuccum cum uino uetere dato in potionem, omnium ſerpentium uel colubri morſus mirifice ſanat.

2 Ad febres acerrimas.

Herbæ perſonaciæ folijs cinges febricitantem, ſtatim mirifice ſanat & effugat febres.

3 Ad uulnera, etiam ſi cãcerauerint.

Herbæ perſonaciæ aqua foueto, deinde ipſam cũ nitro & axungia & picula ex aceto tere, & in panno inducito & imponito.

4 Ad inteſtinorum dolorem.

Herbæ perſonaciæ ſucci cyathum unum ex mellis Attici cyathis duobus ieiunus bibat, liberabitur.

5 Ad canis rabioſi morſum.

Herbæ perſonaciȩ radices cum ſale marino tritas morſui imponito, mirabiliter ſanat.

6 Ad uulnera uetera quæ humorem præſtant.

Herbæ perſonaciæ radicem & ſpinam quæ in locis ſiccis naſcitur æquali pondere conteres, & impones puluere molliſſimo, perfectiſſime ſanat.

7 Ad ambuſtum.

Perſonaciæ ſucci cyathum unum ex mellis cyathis duobus bibat.

COMMENTARII.



ERSONACIA hæc eſt, quam nunc ungulam caballinam uocant, & duas ſpecies habet, ut Simon Ianuenſis ſcribit. Vna maior, quæ in marginibus aquarum ſemper inuenitur, maiore folio, nec angulis ſic manifeſtis, & parua radix eius, odorife

ra, quam quidam cassulam cordis uocant. Altera minor, quæ campis & locis siccis nascitur, & in uineis. Græci arcion nuncupant, & à Dioscoride lib. 4. cap. 98. cucurbitæ folia habere traditur, minora tamen, duriora, nigriora & hirsuta. Caulem albicantem, & si aliquando caulem non proferat. Radicem grandem, intus candidam, foris nigram. Plinius lib. 25. cap. 9. persolatam uocat inquiens, Persolatam, quam nemo ignorat, Græci arcion uocant, folia habet maiora etiam cucurbitis, & hirsutiora, nigrioraq́ & crassiora, radicem albam & grandem. Germani ex ungulæ caballinæ interpretatione Rossʒhůff uocant. Cur autẽ personacia sit dicta hæc herba, causa est quod ea propter foliorum amplitudinem uterentur ad personatos faciendos, quæ causa etiã fuit ut à Græcis prosopites & prosopes, quod personatam in Latino sonat, fuerit appellata: licet sub personatæ nomine Plinius libro & capite iam dictis, aliam ab hac personacia, quam una mutata litera persolatam uocat, herbam intelligat, utpote quæ à Græcis aut arction aut petasites appellatur. Et Galenus arctij nomine & personaciam hanc & petasiten aliquãdo comprehendat. Bacchion.) Bacchion dicta est quasi furens & insana, eo quod in ludis ad personas usum præberet bacchantibus. Elephantosis.) Elephãtosis appellata est & elephas à magnitudine & forma foliorũ ad pedes elephantis. Quæ foliorum magnitudo & forma fecit etiam ut à Latinis manifolium dictum sit à manu. Nephelion.) Nephelion dictum est quasi nebula, eo quod personatis usu suo tanquam nebulam obducat, quo minus agnosci possint. Dardana.) Dardana aut una mutata litera bardana est appellata, quoniam lappæ, quam
C. 1. bardanam etiam dicunt, sit congener. Colubri.) Coluber serpens est in aquis degens, cuius etiam plures sunt
3 differentiæ & species. Cancerauerint.) id est in cancri naturam transierint. Qualis uero sit morbus cancer, dictum est supra cap. 2. Nitro.) Nitrum simile est sali

& à salis natura non multū distans, unde aliquando cum adiuncto sal nitrum etiam appellatur, Arabice baurach: aliud ab eo quod nunc sal nitrū & sal petræ uocant, cuius in bōbardis & tormētis illis tonitruarijs usus est. Suntq; uaria nitri genera, de quibus plura Plinius lib.31.cap.10.

Picula.) Picula diminutiua forma dicta est à pice, quæ duûm generum est, liquida & spissa: de quibus Dioscorides lib.1.cap.87.& 88. Plinius lib.24.cap.7. Ad ulcera quæ humorem præstant.) id est, ad ulcera humida & sanie purulenta fluentia. Nam uti Galenus Therapeuticæ lib.3.tradit, In ulceribus tenuius excrementum, sanies & ichor dicitur, crassum, sordes: ex hoc sordidū, ex illo humidum redditur ulcus. Et ut humidum siccantibus eget, ut sordidum, quæ expurgent. 6

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE FRAGI.
CAPVT XXXVII.


OMARON Græci, Romani fragum nuncupant. Nascitur locis opacis et mundis & collibus. His est prædita uirtutibus.

1 Ad splenis dolorem.

Herbæ fragi succum ex mellis uncia potui datum mirifice proficere certum est.

2 Ad suspiriosos & colicos.

Herbæ fragi succus cū pipere albo & melle mixtus potui datus, mirificū est remediū. Legito eā mundus.

COMMENTARII.


ERBA fragi, quam fragariam nō male dixeris, omnibus nota est, quum etiam, ut Plinij uerbis utar, fraga gignendo commendetur. Folijs constat trinis, à quorum numero triphyllon,

id est trifolium haud perperam quis nūcupauerit, & non pentaphyllon, id est quinqȝfolium, ceu Plinius facit, qui lib. 25. cap. 9. fragariam herbam cum quinqȝfolio confundit. Cæterum fragariæ herbæ fructus sunt fraga & terrestria humiqȝ in herbis nascentia mora, quū maturuerunt colore ruffescente & odoris optimi, à quo & uerbo frago quod odorem reddo significat, nomen habēt. A Germanis *erdber* uocantur. Græci comaros appellant, ob similitudinē fructus arboris unedonis & arbuti uocati, cuius fructus similis & cōgener est hijs terrestribus fragis, teste
C. 2. Plinio lib. 15. cap. 24. Suspiriosos.) id est difficulter spirantes & asthmaticos, de quibus copiosius dictum est in Antonio Musa. Colicos.) id est, eos qui colicum dolorem patiūtur. Est autem colicus dolor, qui in intestino pleniore crassioreue fit, quod colon uocatur: licet plurimi uehemētissimos quosqȝ dolores in quacunqȝ parte intestinorum fiant, ad colum referant. Mundus.) id est purus à re Venerea & om̄i inquinamēto die & nocte illa.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE IBISCI.

CAPVT XXXVIII.



A GRAECIS appellatur althea, alij althæan rhizan, alij elæomolochen, alij molochen agrian aut creticen, alij anadendromalachen, alij sycophyllon, Itali ibiscum uocāt, alij maluauiscum. Nascitur locis humidis & campis.

1 Ad podagram.

Herba ibiscus pisata cum axungia uetere & imposita, tertia die sanat. Huius herbæ experimentum plures autores affirmant.

2 Ad collectiones quæ in corpore nascuntur.

Herba

Herba ibiſcus decocta cum fœnograeci & lini ſeminis polline & impoſita, duritias omnes diſcutit.

3 Ad omia encateſmata in corpore.

Herbam ibiſcum cum malua erratica & fœnogręco decoques, & eadem aqua fouebis, & hæc omia teres & encateſmatis impones.

4 Ad inteſtinorum dolorem.

Herbam ibiſcum perinde ut ſupra decoques cum ſingulis, poſtea ut encateſma ex aqua calida inteſtinũ fouebis, tertio die ſanabitur. Experti ſumus.

COMMENTARII.



BISCVS, aut ſi mauis Græca uoce dicere althęa (quæ Latinis quoq; in uſu eſt, & utraq; etiam eandem herbam uocari Palladius lib. 11. cap. 14. in menſe Octobri autor eſt dicẽs, Althææ, hoc eſt ibiſci folia &c.) quæ & qualis planta ſit, & quæ Græci nominis appellationisq́ ratio & cauſa, docet nos Dioſcorides libro 3. cap. 155. inquiens: Althęa ſylueſtris maluæ genus eſt. Circinata folia cyclaminis modo & lanuginoſa habet. Florẽ roſæ figura & ſpecie. Caulem bicubitalem. Radicem glutinoſo lentore mollem, intus candidã. Nomen illi à multiplici remediorum poteſtate & uſu factum eſt. Siquidem althæa idem eſt ac ſi dixeris herba medica, à dictione ἄλθος, quod in medicina pharmacum eſt & remedium, & ἀλθαίνειν uerbum mederi. A quibuſdam uero non ſimpliciter althæa, ſed cum adiuncto althæa rhyza, id eſt medica radix appellata eſt. Sylueſtrem autẽ eſſe maluam Plinius quoq; teſtatur lib. 20. cap. 21. Qui poſt maluæ diuiſionem, E ſylueſtribus, inquit, cui grande folium & radices albæ althæa uocatur, ab excellentia effectus à quibuſdam ariſtalthæa. Et Theophraſtus lib. 9. de plãtarum hiſtoria idem confirmat dicens, Et quam hij althæam, illi uero ſylueſtrem maluam appellant. Germani ab ibiſco fa

cta deriuatione *ibschen* uocāt. Et hæc althæa est syluestris, quæ sponte sua in campis & locis incultis nascitur. Nam de satiua & hortensi quæ in hortis cōsita arborescit, seorsum agit cap.52. sub nomine hastulæ regiæ. Elæomolochen.) Elæomoloche dicta est quasi oleaginosa maluat ἔλαιον enim Græcis oleum est, moloche uero communiter malua uocatur, licet etiam aliquando malache, sed ut in secūdo dypnosophiste Athenæus testatur, à solis Atheniēsibus dicatur. Appellata est autem hoc nomine ob succi radicis uiscidū & glutinosum lentorem. Molochen agrian.) id est maluam agrestem. Creticen.) Cretice dicta est aut à Creta insula, in qua plurima & procerior nasceretur, aut forsan cretice, id est regia, à uerbo κρέω, q̃d est impero & regno. Quę tamē appellatio tunc illi potius competet, quam postea cap.52. sub hastulæ regiæ nomine nobis proponet. Anadēdromalachen.) Anadendromalache potissimum uocatur à Galeno, quasi arborea siue arborescens malua: δένδρον enim Græcis arbor est. Sycophyllon.) Sycophyllon idē est quod ficulneum folium, à συκῆ, quod est ficus arbor, & φύλλον folium. Sic forte dictum à magnitudine & similitudine quadam for
C.2. mæ foliorum. Fœnograeci.) Fœnogræcum herba est, cuius semen apud medicos in usu est, molliendi, discutiendiq; uiribus prẹditum: de quo Plinius lib.24. ad finem, & Dioscorides lib.2. cap.92. Lini seminis.) Linū omnibus notum, cuius semine in medicina utimur, eiusdem cum fœnogræco uirtutis, sed de hoc plura Dioscorides libro 2. cap.93. & Plinius lib.19. cap.1. & lib.20. cap.22. Polline.) Pollin pro tenuissima farina & puluere accipitur, qualis circa molas plerunq; & loca in quibus panis pinsitur parietibus hærens inuenitur. Et proprie in tritico appellant pollinem, quod florem in siligine, autore Plinio
3 lib.18. cap.10. Encathesmata.) Encathesmata pandectarum autor esse dicit sessiones in aqua uel balneo particulari usq; ad umbilicum uel suffumigium, à uerbo κάθημαι,

ϰάθῃ, quod est sedeo. Nos tamen hic per encathesmata intelligimus corporis abscessus, tumores et reliqua quę corpori excrescentia insident, ac balneis eiuscemodi fomentisq; indigent.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE HIPPVRIS.

CAPVT XXXIX.



A GRAECIS dicitur hippuris, Itali uero equisetam uocant.

1 Ad dysentericos.

Herbę equisetæ succus ex uino dulci cyathis duobus potui datus, dysenteriam sanare creditur.

2 Ad eos qui sanguinem per os reijciunt.

Herbæ equisetæ succum ex uino austerissimo sine fumo ieiuni bibant, mox sanguinem restringet.

COMMENTARII.



HIPPVRIS Græce idem est quod cauda equina Latine, ex Gręci nominis interpretatione facta appellatione: hippos enim equus est, ura uero cauda. Dicta est autem hippuris, quod arbores scandens ex illis dependeat comis nigris ut est equorum cauda. Aliqui equisetam uocant, similiter ab equinę setæ similitudine. Nã ut Plinius lib. 26. cap. 14. ait, Pullulus est terræ, equinę setæ similis. Nascitur in pratis, aquosis locis & fossis, Coliculos habet inanes, modice rubẽtes, duros, leniter asperos, geniculis inuicem insertis dissectos, & circa coliculos illos folia iuncorum figura densa graciliaq;, augetur in altitudinem propinquas stirpes ascendẽs, pendetq; ex illis circumamplexa multis nigrisq; comis ceu

cauda equina. Radix illi lignosa est & dura. Est & altera hippuris recto caule, cubito maiore, concauo, comas per interualla habens breuiores quàm superior, cãdidiores, molliores'q́, ut autor est Dioscorides lib. 4.

NOMINA ET VIRTVTES MALVAE ERRATICAE.

CAPVT XL.


MALACHIN agrian Græci uocant, alij elæomalachen, alij acopon, alij collyrin, alij malachen, alij helioſtrophon, alij osyriacam, Itali maluam rusticam, alij maluã erraticam. Nascitur ubiq; locis cultis.

1 Ad uesicæ dolorem & eos qui sanguinem per naturam faciunt.

Herbæ maluæ erraticæ cum totis radicibus suis libram pisatam & in congio aquæ coctã ad dimidium, per triduum ieiuno dato bibere, dolorem mitigat, & sanguinem abstinet.

2 Ad neruorum dolorem.

Herbæ maluæ erraticæ radices cõtritę cum axungia uetere & impositæ, neruorũ dolorem mirifice sanãt. Facit & ad omnia encathesmata decocta cum ibisco & fœnogræco.

3 Ad lateris dolorem.

Herbam maluam erraticam decoques cum oleo, & postea distringes, & folia in mortario teres, & in pannum induces & impones, & triduo non solues, emendasti dolorem.

4 Ad recentia uulnera.

Herbæ

Herbæ maluæ erraticæ radicem in cinere coctam contere & impone, sanabitur.

COMMENTARII.



VAMVIS maluæ duo genera faciãt Plinius & Dioscorides, quæ & Apuleius hic agnoscere uidetur, de malua erratica huic capiti titulũ præfigens, quasi sit & alia ab hac diuersa, re ipsa tamen non nisi unum maluæ genus est. Discrimen enim illud satiuæ siue hortensis & syluestris, non genere sed cultura tantum & natali loco illas inuicem secernit & separat. Hortensisq́ & satiua uocatur quæ in hortis ad cibos quondã melioris iucundiorisq́ saporis causa serebatur. Fuisse autem in cibi usu olim maluam, testis est Dioscorides, qui hortensem magis quàm syluestrem edendo esse dicit. Nec minus idem ex Hesiodo in libro τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν, id est operum & dierum inscripto colligitur, ubi ait, Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς, οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ, hoc est, Fatui, neq; sciunt quanto plus dimidium toto, neq; quantum in malua & asphodelo magna utilitas. Syluestris autem uocatur malua non quæ in syluis aut asperis locis nascitur, sed in incultis tantũ, quales sunt semitę, prata, & alia id genus ruris & agri loca, quæ quoniam cultura uacãt, syluestribus assimilantur: & hoc uel ex Dioscoride patet, qui χερσαίαν chersæam uocat maluã: quæ uox Græcis non simpliciter terram, sed τὴν ἀνέργαστον γῆν, id est incultam & inelaboratam terram significat. Et hinc Apuleius erraticam appellauit maluam, non quæ genere sed loco tantum & cultura ab hortensi & satiua esset diuersa. Germani hanc herbam *bappelen* uocant, omnibus notam, quare historiam ipsius subscribere superuacaneum esset. Malachen agrian.) id est maluam agrestem, & ut in nomenclaturis habetur, erraticam & rusticam. Acopon.) Acopos dicta est quasi doloris lenitiua & mitigatiua, indolẽtiamq́

faciẽs, ab α particula priuatiua, & κόπος, quod laborem & dolorem significat. Collyrin.) Collyris appellata est quod aluo ciendæ & emolliendæ collyrij, quod uulgo nunc suppositorium, Græci balanon uocant, uicem præstet radix, quæ sæpius in balani forma eius causa uentri submittitur, à κῶλον quod membrum significat, uel κῶλος quod est podex & anus. Malachen.) id est maluam: sicq́ dicta est ab emolliendo uentre. μαλάσσειν enim unde malache dicta est, Græcis subigere est & mollire, & μαλακὸς mollis. Vnde Martialis maluæ uim hanc indicans ait,

Vtere lactucis, & mollibus utere maluis,
Nam faciem durum phœbe cacantis habes.

Heliostrophon.) id est solsequium, ab helios qui Sol est, & uerbo στροφάω, quod est uerto, eo quod folia ipsius ad Solem circumagũtur & uertuntur. Cuius rei testis est Columella in carmine dicens,

Et moloche prono sequitur quæ uertice Solem.

Dicitur aũt & moloche & malache, ut habitum est prius in ibisco. Testatur etiam hanc uim & naturam eius Theophrastus item, qui causam quoq; subiungit hijs uerbis, ἐνίων δὲ καὶ τὰ φύλλα, συμπάσχει τ' αὐτὸ καθάπερ ἐπὶ μαλάχης. αἴτιον δ' ἡ τοῦ ὑγροῦ ἡ ἀφαίρεσις, ἧ γὰρ ἂν ἐξάγει θερμαίνων ὁ ἥλιος ἐν τούτῳ ἡ ἔγκλισις, hoc est, Aliquorum uero & folia compatiuntur hoc, ceu maluæ. Causa uero, humidi exuctio, quâ enim elicit & exugit calefaciens Sol, in hoc est & folij inclinatio. Osiriacam.) Osiriaca dicta uidetur quasi boni & diuini effectus in medicina: idq́ ab Osiride, quo nomine apud gentiles deus quatenus effector est bonorum, appellabatur antiquitus, ut tradit Iamblichus in libro de mysterijs. Ad lateris dolorem.) De laterum doloribus Celsus lib. 4. cap. 6. sic tradit, In his uehementes dolores esse consueuerunt, & initium uel ex frigore, uel ex ictu, uel ex nimio cursu, uel ex morbo est. Sed interdũ ne malum infra dolorem est, isq́ modo tarde, modo celeriter

riter soluitur; interdum ad pernitiem quoq; procedit, oriturq; acutus morbus, qui pleureticus à Græcis nominatur. Mortario.) Mortariũ uas est lapideum siue æreũ, in quo tundunt teruntúrue pistillo quę resoluenda sunt, autore Nonio. Plautus in Aulularia, Cultrum, securim, pistillum, mortarium, quæ utenda uasa semper uicini rogant, fures uenisse atq; abstulisse dicito.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE BVGLOSSAE.

CAPVT XLI.

BVGLOSSON Græci, Prophetæ gonon ælu-ru, Osthanes tzanuchi, Aegyptij antueorinbesor, Romani linguam bubulam, Lucani coraginem dicunt. Nascitur locis cultis & sabulosis. Buglossa dicta est eo quod folia aspera in modũ linguæ bubulæ habeat. Folia habet aspera, obscura, terrestria. Hæc in uino mixta hilaritatem conuiuis facit: in cibũ etiam cocta pro olere sumitur, uel trita pro condimento.

1 Ad tertianas siue quartanas.

Herbæ buglossæ quæ treis thyrsos seminis mittit radicem totam cum aqua decoque, ipsam aquam decoctam potui dato, remediabis tertianas: quæ autem quatuor thyrsos habet, faciet ad quartanas, dabis autem ut supra. Alia item herba similis est ei, quæ folia lapathi fert minuta, eius radix potata ex aqua, ranis & serpentibus aduersatur.

2 Ad suspirium.

Herbæ buglossæ succum cum melle dabis bibere, mirabiliter suspirium tollit.

3 Ad apostema siue suppurationem in corpore.

Herbam buglossam cum melle & pane cōtritam uice malagmatis impones, mirifice rumpit apostema. Leges eam mense Iulio.

COMMENTARII.



VGLOSSA proprie dicta, ea herba est de qua præsenti capite agit Apuleius, & quam nostro tempore communiter omnes relicto buglossæ nomine, boraginem uocant, uerso, una mutata litera, coraginis nomine in boraginem, nisi forte uitiose corago scriptū fuerit. Est & alia herba, quæ nostro etiam æuo buglossa uocatur, sed de hac plura inferius capite 68. de cirsio inscripto. Gonon æluru.) id est genituram felis, γόνος enim genitura dicitur, αἴλουρος uero feles. Folia obscura.) id est nigricantia. Dioscorides uerbasco similia folia habere dicit, sed nigriora, quæ in uinum deiecta, uoluptates animi augent & lætitiam faciunt, unde & euphrosynon uocatur autore Plinio. Terrestria.) Terrestria uocat quæ Græci χαμαιπετὰς, id est humi & in terram decidua dicunt. Condimento.) Condimentum est quod ad condiēda fit obsonia, & alio nomine in-
C.1. tinctus & embamma dicitur. Virtutem hanc buglossæ testatur etiā Dioscorides, licet Plinius lib. 25. cap. 8. illam non buglossæ sed cynoglossæ adscribat, quum post buglossæ tractationem ait, Iungitur & cynoglossos caninas imitans linguas, aiuntq; quæ tres thyrsos seminis emittat, eius radicem potā ex aqua ad tertianas prodesse: quæ quatuor ad quartanas. Quæ deinde hic de alterius herbę similitudine sequuntur, utpote, Alia item herba similis est ei, &c. ex Plinio etiam huc temere ab alio quopiā transcripta uidētur, non enim in omnibus Apuleianis exemplaribus habētur: & apud Pliniū post cynoglosson etiam

ita leguntur, Est alia similis ei, & quæ ferat lappas minutas &c. Vbi etiam Plinium emendandum esse putamus, ut pro eo quod est, ferat lappas minutas, legatur, folia lapathi fert minuta. Suspirium.) id est spiritus & anhelitus difficultatem & suspirationem angustā difficilemq́. 2
Quod malum apud Græcos aliud atq; aliud nomen habet prout se intendit. Omne enim in difficultate spirandi consistit. Sed hæc dum modica est, neq; ex toto strangulat, dyspnœa appellatur. cum uehementior est, ut spirare æger sine sono & anhelatione non possit, asthma. Cum accessit id quoq; ne nisi recta ceruice spiritus trahatur, orthopnœa: autor Celsus medicinæ lib. 4. cap. 4.

NOMINA ET VIRTVTES
BVLBI SCYLLITICI.
CAPVT XLII.



GRAECIS dicitur scylla, alijs stœchas, alijs pācration, alijs typhonos, Aegyptij sylitho, Prophetæ ophthalmon typhonos, Itali scyllam rubram, masculam, alij bulbum scylliten siue scylliticum appellant.

1 Ad hydropisim.

Herbæ scyllæ bulbus torretur, deinde circumpurgatur, & medium eius in aqua decoquitur, cum bene coctum fuerit eximitur, & ex eo tres oboli potui dantur cum melle & aceto hydropico, & euacuatur per urinam.

2 Ad perniones.

Scyllæ quod est in medio eius cum oleo commode feruefacito, atq; ea quæ dolorem exhibent perungito, sanabuntur.

3 Ad panaricium.

Herbæ ſcyllæ radix piſata cum aceto & pane, impoſita panaricium mirifice ſanat.

4 Ad extinguendam ſitim hydropicorum.

Herbæ ſcyllæ folium ſubiectũ linguæ, ſitim compeſcit. Leges eam omni tempore.

COMMENTARII.



SCYLLA quæ bulbus ſcyllites, ſcylliticusꝗ dicitur, è bulborum genere eſt, de qua ſic ſcribit Plinius lib. 19. cap. 5. Bulborum nobiliſſima eſt ſcylla, quanquã medicamini nata, acetoꝗ exacuendo. Nec ulli amplitudo maior, ſicut nec uis aſperior. Duo genera medicæ. Maſculus albis folijs, fœmina nigris. Et tertium genus eſt cibis gratum, epimenidũ uocatur. Sed uide num potius edodimon ſit legendũ, id eſt quod edendo eſt. Stœchas.) Quæ ſequẽti capite in prius impreſſo codice habetur appellatio ſtœchas, ea in exemplaribus noſtris præſenti capite ſcribitur, hucꝗ irrepſit ex alia herba quæ proprie ſic appellatur, & minoris ſcyllæ nomine etiã nominatur, quod eſt pancratios, quaſi tota uictrix.

Typhonos.) Typhonos dicta eſt à Typhone gigante, quod quemadmodum ampliſſimis corporibus homines fuerũt gigãtes, ſic etiam ſcylla inter bulbos maxima. Et quia maximis oculis fuerunt etiam gigãtes, è quorum numero & Typhon fuit, hinc à prophetis & magis ipſis ophthalmos typhonos, id eſt, oculus Typhonis etiã eſt appellata, ab oculi forma & ſimilitudine. Scyllam rubram, maſculam.) Rubra & maſcula, non ſcyllæ appellationes, ſed generum diſcrimina ſunt, quæ nobis per eas uoces dat intelligere: nam uti ex Plinio iam patuit, ſcyllæ medicæ duo genera ſunt, maſculum albis folijs, & fœmina nigris ſiue rubris. Et idem Plinius lib. 20. cap. 9. de ijſdem

dem ait, Scyllarũ in medicina alba est quæ masculus, fœmina nigra. Scylla quæ cãdidissima fuerit, utilissima erit.

Quoniam cruda) ob acrem feruidamq́ue (nam in tertio gradu, ut uocãt, ualidissime calet, teste Galeno) & maximam incidendi uim, noxia est intus sumpta scylla, testimonio omnium, ideo quo innocentior in medicũ usum ueniat & sine periculo intus assumatur, coquendã ipsam & præparandam prius præcipiunt autores, quo sic maiorem uirium suarum acrimoniã & uim noxiam igne amittat. Cuius rei non inscius Apuleius, coquendi modũ nobis, licet quemadmodum Plinius etiam, succincte nimis, prescribit, quare ex Dioscoride lib. 2. ca. de scylla, coquendæ scyllæ modum altius & fusius, quoniam rei necessitas id exigit, subiungam. Inquit autem, Acri feruidoq́ue temperamẽto scylla est. Plurimos habet cremata usus, ideoq́ue pasta siue crusta ex panificio & opere pistorio aut luto inuoluitur, sicq́ue in clibanum aut furnum cõijcitur, aut carbonibus obruitur, donec circumlita crusta illa abũde tosta sit. Quod si amota crusta illa nondum cocta penitus scylla tenerior facta flaccescet: denuo ut prius noua pasta aut luto inuoluetur & cremabitur. Quæ enim sic cremata non fuerit, graui periculo præsertimq́ue interaneis dabitur. Torretur hęc ipsa etiã in operculato fictili in furnum coniecta. Tosta deinde purgatur abiectis extimis cunctis partibus, & medium eius quod maxime intimum est, iterum in aqua coquitur, usq; dũ neq; amaritudo neq; acrimonia in aqua sentiatur. Et sic cocta scylla usui est. Quo pacto autem ex scylla uinum aut acetum scylliticum scyllinũmue appellatum, nam & horum olim usus erat, conficeretur, docet Dioscorides lib. 5. Columella rei rusticæ lib. 12. Palladius in mense Iulio, & Plinius lib. 20. Non omissis siccandæ & in usum seruandæ scyllę ratione & modo, quæ etiam 2. lib. docet Dioscorides. Perniones.) 2.

C. 1.

Pernio morbus & malum est ubi in pedum manuumq́ue digitis, & aliquando in posteriore calcaneo, quod Græci

πτέρνην, & inde Latini una dempta litera pernam uocant, ex nimio frigore tumet primum & liuet caro, & niſi ſuc-
3 curratur, locus facile exulceratur. Ad panaricium.) Panaricium uocat, quod Græci paronychion dicunt. Videturꝗ panaricij uocabulum à Græcorum paronychio, permutatis & tranſpoſitis literis quibuſdam, deluxatum atq; formatum. Sunt autem tum panaricia, ut recentiores medici uocant, tum paronychia, ut Græci nominant, idẽ malum & eodem modo ab omnibus deſcriptum, dicunturꝗ eſſe abſceſſus qui circa ungues et ad radices illorum naſcuntur, non ſine doloris pungẽtis uehementia & inquietudine, adeo ut ſomnum aliquãdo auferens, uigilias & inſomnietatem inducat.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE COTYLEDONIS.

CAPVT XLIII.



GRAECI cotyledon, alij cepon aphrodites, alij ges omphalon, alij ſtergethron, Itali umbilicum Veneris, alij cimbalarem appellãt. Naſcitur in tectis aut in monumentis.

1 Ad ſtrumas diſcutiendas.

Herba cotyledon piſata cum axungia ſuilla fœminea ſine ſale æquis põderibus & calida impoſita, ſtrumas diſcutit. Leges eam hyemali tempore.

COMMENTARII.



COTYLEDON, ut illam Plinius lib. 25. cap. ultimo deſcribit, eſt paruula herba, cauliculo tenero, puſillo, pingui: folio concauo ut coxendices. Naſcitur in maritimis petroſisꝗ uiridis, radice oliuæ modo rotunda. Dioſcorides folia habere dicit acetabuli figura, in orbem circumacta: ſenſim, leni ut ſenſum

sensum fallant in concauitatem descēsu: coliculum in medio itidem breuem, in quo semen est: radicem oliuæ modo rotūdam. Porrò quia in descriptionibus hijs circa dictiones coxendices & acetabulum, nonnihil obscuritatis subesse uidetur, haud abs re fuerit, quo clarius hæc pateant, subiungere quæ & quot cotyledonis significationes & unde originem habeat: quid item acetabulum, & quot significet. In primis itaq; cotyledon appellatum est à cotyla. Cotyle uero primo & principaliter & proprie poculi genus & liquidorum mensurā significat Græcis, quam Plinius nunc heminam nunc sextarium ex Græcis uertit. Quoties autē seruata eiusdem uasculi forma in aliū transibat usum, & in cœna aceto plenum ad intinctus ponebatur, ab aceto Græcis oxybaphon, Latinis acetabulum dicebat: cuius forma orbicularis erat, profunda & sine marginis latitudine. Et hęc prima nominum illorum ratio & usus fuit, à quibus deinde ob similitudinē ad alia quoq; translata sunt nomina illa: utpote ad animalium ossa & ossium artus, quales in coxendicibus sunt, in quibus concauum os à crure progrediens in superiorē partem, aliud os excipit & simul iungit, sic appellatur. Quam coxendicum cauitatem aliqui solam coxendicem dici uolūt, sicq; Plinius aliquando accipit. Item ad concauas in polyporum flagellis & cirris quibus nitit & sorbet partes, quas Græci cotyledonas, Plinius acetabula uocat. Postea etiā ad matricē medici uocem transtulerunt, cotyledones uocantes in ea parte quibus ea nititur et hæret ligamenta. Et demum inter alia cotyledonis nomen ad herbam hanc translatum est, quod rotunda concauitate folia uasculis illis similia habet. Cepon aphrodites.) id est hortum Veneris: sic dicta herba quod utentibus ad Veneris amores conciliandos accōmoda sit, & uoluptatis desiderium adferat, ceu horti deambulantes in illis oblectant, & sui aspectus desiderium incutiendo alliciūt, & uberrima oculos pascunt uoluptate, præsertim qui elegantiores & ur-

bani sunt, πάρθενοι à Græcis uocati. Venus autẽ amoris dea est. Ges omphalon.) id est terræ umbilicum, eo quod quemadmodum hominis umbilicus in orbem circumagitur & in concauitatem descendit, sic etiam in terræ plantis herba hæc folio est in orbem circumacto & leni in concauitatẽ descensu. Et ut rei maiestas aliqua etiam denotaretur, hinc à Latinis Veneris umbilicus est appellata. Stergethron.) Stergethron dicta est quasi amorifica, à uerbo στέργω, quod est amo. Nam, ut Dioscorides testatur, ad conciliandos amores herba hac utuntur.

DE HERBA GALLICRVRE.

CAPVT XLIIII.



NASCI amat herba gallicrus locis solidis et circa uias. Eius cacumẽ instar pedis galli. Virtutes habere dicitur.

1 Ad canis morsum.

Herbã gallicrus tritam cum axungia & pane domestico imponas, mox sanabit.

2 Ad duritias.

Eadem sic ut diximus parata, duritias discutit.

COMMENTARII.



GALLICRVS ab Apuleio uocata herba est quã Dioscorides lib. 2. coronopoda, id est cornicis pedem appellat, herba parua, &, ut ait, oblonga quæ per terram sternitur, & folia cum fissuris & incisuris diuisa habet, & olerum modo cocta estur, radicem habens gracilem in cibo astringentem, ideoq; cœliacis utilem. Nascitur locis incultis, aggeribus & semitis. Germani hanc *hanenfůß* uocãt, & apud aliquos adhuc in esculento usu est, multumq; estur apud Isnam Algoiæ.

Porrò

Porrò sunt inter Latinos qui hanc non cornicis sed coruinum pedem nominãt, aliam tamen ab ea quæ já nostræ ætatis herbolarijs coruinus pes dicitur, & batrachij species est, intelligentes. Sunt etiam qui hanc eandem esse uelint quam Columella rei rusticæ lib. 13. in aliarum herbarum conditura miluinum pedem uocat, nec fortè male. Vtcunq; sit, omnes iam dictæ appellationes originis suæ rationem habẽt, quod dictorum animalium pedum effigiem repræsentant folia, & in summo cacumine diuisionem habent eadem forma qua in auibus illis digiti & ungues sunt. Præterea Leonicenus uir nunquam satis laudatus hanc à Plinio lib. 24. gramen aculeatũ appellari dicit, fortè quia idem Plinius lib. 22. & Theophrastus lib. 8. eam inter aculeatas & sponte nascentes enumerãt. Et Plinius etiam lib. 24. aculeati graminis aculeos, quos in cacumine plurimos habet, conuolutos naribus inserere & extrahere sanguinis ciendi gratia dicit: quemadmodũ hic Apuleius quoque de gallicrure, quod naribus imposita sanguinem fluere faciat, & ab eo effectu sanguinariam dictam testatur, referente Leoniceno, qui etiã multos nunc capriolam uulgo appellare dicit. Ex quo facile colligitur Apuleio in hoc capite & herbæ nomẽclaturas & alia quædam deesse.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE MARRVBII.

CAPVT XLV.



GRAECORVM quidam prasion, alij eupatorion, alij phyllophares, alij melittænam, alij camelopodion, alij cynosprasion, Aegyptij asterion asteropenue, Prophetæ hæma tauru, alij aphedron, alij gonon horu, Itali marrubiũ, alij ulcerariam dicunt.

1 Ad tuſſim grauem.

Herbam marrubium decoques cum aqua & dabis bibere eis qui grauiter tuſſiũt, ſanabunt mirifice.

2 Ad ſtomachi dolorem.

Herbæ marrubij ſuccus potus, ſtomachi dolorem tollit: ſi febricitat ex aqua potus, ſtatimq́ eleuat ſe.

3 Ad lumbricos.

Herbæ marrubij, abſinthij, & lupinorũ paria pondera in aqua mulſa cocta, cum uino dabis, aut ſuper umbilicum pones, necat lumbricos.

4 Ad condylomata.

Herbam marrubium combure, eiusq́ cinerem infrica, ſanabit.

5 Contra uenenum ſi quis ſumpſit.

Herbæ marrubij ſuccum dabis ex uino uetere, diſcutit uenenum.

6 Ad ſcabiem uel impetiginem.

Herbæ marrubij decocti aqua corpus lauato, ſcabiem & impetiginem ſtatim curat.

7 Ad pulmonis extenſionem.

Herbam marrubium cum melle coctã ſumat, mirifice curat.

8 Ad omnem duritiam.

Herba marrubium tuſa cum axungia & impoſita, mire ſanat.

9 Si quis ab opere laſſus inciderit in languorem, & neruorum habuerit dolorem & ſpaſmum.

Herbæ marrubij ſucco cum oleo roſaceo permixto perunges eum, ſine mora ſanabitur.

Marrubij

COMMENTARII.



ARRVBII duo genera faciunt autores, unum candidum & proprie marrubium dictum, alterum nigrum, quod ballote & ab aliquibus alterum, id est secundum Marrubium uocatur. Germani *andorn* & *marobel* nominant. De utroq; seorsum agunt autores, & cuiq; suas seiunctim tribuunt uires. Plinius siquidem lib. 20. cap. 22. licet duo genera ex Castoris autoritate indicet, agit tamen eò loci pręcipue non nisi de candido & proprie dicto marrubio: de ballote uero seorsum lib. 27. cap. 8. Dioscorides etiam licet eodem libro scilicet tertio utrunq; genus tractet, agit tamen id diuersis & separatis quibus aliud interpositum sit capitibus. Porrò Apuleius utrunq; genus sub uno marrubij nomine hoc præsenti capite comprehendit, quod uel hinc manifesto patet, quoniam quas alij seorsum cuiq; generi suas adscribunt nomenclaturas & uires medicas, eas hic Apuleius uni tantum marrubio tribuit. Vnde haud abs re fuerit utriusq; historiam, quo facilius dignoscantur, subscribere, pręsertim marrubij proprie uocati, eo quod pleriq;, teste Plinio, inter primas herbas illud commendauere, licet idem etiam notius esse dicat quàm ut indicandum sit. Itaq; marrubium, Dioscoridis iuxta descriptionem, frutex est ab una radice ramosus, hirsutus, albescẽs, quadrangulis caulibus, folijs humano pollici similibus, paulò minus quàm rotundis, hirsutis, rugosis, sapore amaro: semen per interualla in caulibus illi est: flores asperi uerticillorum figura. Nascitur circa areas domorum & inter rudera. Ballote uero siue marrubium nigrum ob foliorum similitudinem & coloris cauliũ diuersitatem, qui in prioris caule candidus, in ballote niger est, sic uocatum, herba est priori similis, fruticosa, angulosis caulibus, nigris, hirsutis, folijs uestientibus, maioribus quàm marrubij, & nigrioribus, graue olentibus, ut illam breuiter descripsit Plinius lib. 27. cap. 8. Prasion.) Sic dictũ est quasi

uiride à colore herbaceo & uiridi: unde & prasiæ dicũtur hortorũ ad consitionem olerum dispositæ areolæ. Eupatorion.) Eupatorium dictum est à similitudine quadam foliorum ueri eupatorij, quod nũc uulgo perperam agrimoniam uocant. Phyllophares.) Phyllophares dictum putamus, quod caules foliorum copia uestiãtur, à φᾶρος, quod Græcis uestimentum significat. Nam uti Plinius, sed de nigro quidẽ scribit, caules habet folijs uestientibus. Melittenã.) Melitena est app ellata quod apiastro, quod proprie sic nuncupatur, etiam similia habeat folia. Nã ut Dioscorides tradit, folia habet apiastro similia, ex quo apiastrum plerinq; id dixerunt. Et hæc de marrubio nigro intelligũtur. Camelopodion.) id est cameli pedem. Cynosprasion.) id est marrubium caninum, conuenitq; nigro marrubio potissimum appellatio ista. Sicq; dictum est quod folia ipsius cum sale emplastri modo imposita, rabidi canis morsibus mendentur, teste Dioscoride & Plinio. Hæma tauru.) id est sanguinem tauri. Gonon horu.) id est genituram hori. Vlcerariam.) Vlceraria uocata est ex usu & uiribus,
C.1. quod ulceribus adhibita purget illa & persanet. Ad grauem tussim.) id est tussim molestam, qualis est ut plurimum uetus & arida in qua nihil pituitæ eijcitur, quæ uix curatur: & si curationem admittit, difficulter admodum id facit. Est autem tussis motus naturæ expellere conantis nociuum à pulmone & membris illi continuis atq; pro-
4 pinquis. Condylomata.) Condylomata Galenus tubercula & excrescentias esse dicit, quæ in sede & extrema ani corona qua parte se comprimit, cum inflammatione protuberant & insurgunt: nec solum in ano, sed & in fœminarum naturalibus eadem figura post diutinas & inueteratas rimas in callũ transeuntes fiunt, teste Paulo Aegineta. Dicta sunt autem condylomata Græcis à condylis, hoc est, digitorum articulis & in digitorum commissura prominentijs, eo quod quemadmodum contracta

in

in pugnum manu digitorũ articuli condyliue insurgunt
& eminet, sic etiam duratæ in callum dictorum locorum
rimæ à reliqua superficie insurgunt. Scabiem.) Sca- 6
bies est cutis infectio, de qua Celsus medicinæ lib. 5. post
pustularum genera sic scribit, Scabies uero est durior cu-
tis rubicundior ex qua pustulæ oriuntur, quædam humi
diores, quædam sicciores: exit ex quibusdam sanies, fitq;
ex hijs continuate exulceratio pruriens, serpitq; in qui-
busdã cito, atq; in alijs quidem ex toto desinit, in alijs ue-
ro certo tempore anni reuertit. Quo asperior est, quoq;
prurit magis, eo difficilius tollitur: itaq; eam quę talis est,
ἀγρίαν, id est feram Græci appellant. Hactenus Celsus.

Impetiginem.) Impetigo cutis etiam infectio est cum
aspredine, pruritu, in qua decidunt squamulæ, & plures
corporis partes depascuntur. Cuius medicinæ lib. 5. Cel
sus quatuor species facit. Græci λέπραν, id est lepram di-
cunt: aliud tamen malum ab eo quod Arabes & illos se-
quentes medici recẽtiores nostra ætate leprã nominant.

Ad pulmonis extensionem.) Siue ut alia litera habet, 7
uexationem. Vtcũq; scribatur, intelligit autor pulmonis
affectiones & mala ipsius affligentia & molestantia, qua-
lia sunt tabes, tussis, suspiria difficultatesq; anhelitus, &
malum in quo aliquãdo id accidit ut infirmus pulmonis
ad superiora & in collũ ascensionẽ sentire se putet, quod
tamen non ob pulmonis ascẽsum, sed pituitosi excremen
ti pulmonem extendẽtis, & animæ spiritusq; canales op-
plentis abundantiã contingit, quæ talem anhelitus diffi-
cultatem & angustiam inducit. Languorem.) Lan- 9
guor dicitur corporis defectio & dissolutio. Spasmũ.)
id est conuulsionem neruorum. Quod malum Galenus
in Diffinitionibus esse dicit neruorum & musculorũ affe-
ctionem, trahiq; in ea sine electione, id est inuitis aliquan
do totum corpus, aliquando corporis aliquas partes.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE XIPHII.

CAPVT XLVI.


GRæcorum quidã xiphion, alij phaſganon uocant, Itali gladiolum dicunt.

1 Ad fiſtulas quæ in corpore naſcuntur.

aliàs amomi. Herbæ xiphij radicis uncias ſex, † amyli uncias ſex, aceti cyathos duos, adipis uulpini uncias treis ex uino piſabis, in panno lines & impones, miraberis effectum.

2 Ad capitis fracturam.

Herbæ xiphij radicis ſuperior pars ſicca trita & æquis ponderibus mixto uino, capitis oſſa fracta extrahit: aut ſi quid in corpore ſuppuratum fuerit, uel ſi pedibus calcata ſint oſſa ſerpentis, contra ea uenena efficax eſt.

COMMENTARII.


QVAE Græcorum nomina enſem, cultellum & gladium ſignificantia, ξίφιον & φάσγανον, id eſt xiphion & phaſganõ hic enumerat Apuleius, ea Latinorum refert gladiolus. Sic dicta herba à foliorum figura cultellata. Nam ut Dioſcorides tradit lib. 4. cap. 21. iridi ſimile folium habet, uerũtamen breuius anguſtiusq; & cultelli modo in mucronem definens, uenoſumq;. Caulem ex ſe mittit cubitalem, in quo purpurei flores ſunt deinceps diſpoſiti & à ſe inuicem diſtãtes. Semen habet rotundum. Radices duas, & alteram alteri inſidẽtem exiguorum bulborum figura: earum inferior gracilis eſt, ſuperior uero craſſior. Naſcitur maxime in aruis: licet Plinius lib. 25. cap. 9. in humidis naſci tradat, & cum

cum primum exit gladij præbere speciem, caule duûm cubitorum: radice ad nucis auellanæ figurã fimbriata: quã effodi ante messes oportet, siccari in umbra. Et hæc princeps in hoc foliorum genere habetur herba à qua cæteræ huiuscemodi similitudinis notã acceperunt. Et Apuleius infra cap. 77. de gladiolo inscripto, præsentis herbę nomina & historiam nobis proponit: licet alterius, quam Græci xyrin & syluestrem irim, & Latini gladiolum etiam ob similitudinem uocant, uirtutes & curationes subiungat, uti ex Dioscoride manifesto deprehenditur: quare nõ immerito sed iusto iure ex capite illo huc ad præsens reuocãda & transcribenda nomina illa & historiam ipsam censemus. Verum nos nihil mutare sed rem ipsam tantum indicare uoluimus, ne alijs calumniandi ansam daremus.

Amyli.) Amylum, ut Plinius lib. 18. cap. 7. tradit, ex omni tritico & siligine fit, sed optimũ ex trimestri. Sic appellatum quod sine mola fiat. Quomodo autem conficeretur, docet ibidem, et Dioscorides lib. 2. cap. 91. Germani *krafftmel* uocant. Cæterum exemplar nostrum hic non amyli sed amomi scriptum habet. Estq; amomum frutex odoratus transmarinus, cuius semen nunc in usu est: de quo Dioscorides lib. 1. cap. 14. & Plinius lib. 12. cap. 13. C. 1.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CALLITRICHI.

CAPVT XLVII.



RAECI callítrichon, ijdem adianton, ijdem polytríchon, ijdem trichomanes, ijdem tríchophyes, alij selínophyllon, alij dyphyes, alij heracleos pogon, alij hippomanes, item scolopendrion, asplenon, scolibrochon, alij amianton, Latini capillum Veneris, ijdem herbã capillarem, crinitam, saxifragã, Punici nessoessesade. Nascitur locis aquo-

sis, uirgultis nigris, lenibus, cum splēdore, bipalmis: folijs ut coriandrum, scissis in summitate.

1 Ad strumas uirginum.

Herba callitrichon pisata per se & imposita, uirginibus strumas sanat.

2 Ad capillos tingendos.

Herba callitricho in oleo trita capilli uncti inficiuntur.

COMMENTARII.



CALLITRICHON species est adianti, cuius plura feruntur genera. Nam uti Theophrastus de plantarum historia libro 8. tradit, Genera eius duo, alterum quidem cādidum, alterum uero nigrum: ambo ad defluuia capillorū utilia ex oleo inuncta. Nascuntur aquosis locis, &, ut opinantur aliqui, facit ad stranguriam, quod trichomanes uocatur, habetq; caulem nigro adiāto similem, folia parua ualde & densa, contrarijs inter se pediculis pendētia. Radix illi nulla, amatq; umbrosa loca. Plinius item nat. hist. lib. 22. cap. 21. adiāton quosdam callitrichon, alios polytrichon uocare dicit, & mox in species diuidens ait, Duo genera eius, candidius, & nigrū breuiusq;. Id quod breuius est polytrichon, aliqui trichomanes uocant. Vtriq; ramuli nigro colore nitent, folijs filicis, ex quibus inferiora aspera & fusca sunt, omnia autem contrarijs pediculis densa inter se ex aduerso. Radix nulla, umbrosas petras, parietumq; aspergines ac fontium maxime specus sequitur, & saxa manantia, q̊d miremur cum aquas non sentiat. Et lib. 25. cap. 9. idem Plinius polytrichon à callitricho distinguēs ait, Polytricha distat à callitricha, quod iuncos albos habet & folia plura maioraq;, frutice quoq; maior est. Et hęc Plinij de adianto & speciebus eius sententia, cui tamen in herbarum cōparatione cæteri autores & res ipsa quoq; aduersatur. Dioscorides enim non filici sed coriādro similia folia habere

bere scribit, et licet apud eundem etiã legatur folia habere filici similia, id nos tanquam superfluens expungendum censemus. Quis eñ tantũ in re herbaria autorem unam & eandem herbã alijs diuersis & dissimilibus simul comparasse crederet? Neq; apud Serapionẽ tale quid legitur, neq; apud Apuleium nostrum qui Dioscoridi subscribit & folia ut coriandrum habere dicit. Habet præterea & ueritatis rei testimoniũ Dioscorides, cuius uel nosipsi oculati testes sumus. Vidimus eñ tale, sed ex peregrinis regionibus allatum, sub capilli Veneris nomine quo tantum nunc uocatur, adianton, quale à Dioscoride lib. 4. describitur, quem nunc audiamus dicẽtem, Adianton folia habet coriandro similia, exigua, & in extremitatibus incisuris diuisa: coliculos ex quibus ea exeunt nigros, graciles, dodrantales, nitentesq́;. Radix illi superuacua & inutilis. Neq; caulem, neq; florem, neq; semen fert. Nascitur umbrosis palustribusq́; locis, humentibus muris & prope fontes. Ex qua descriptione facile constat herbam eam, quam nos ex muris & parietinis erutam Teutonice *maurruten* seu *stainruten* uocamus, nõ esse capillũ Veneris hunc, quum & florem ferat & semen ea herba. Cæterũ de Dioscoridis adianto & capillo Venereo præsenti capite agit Apuleius sub nomine callitrichi, id est pulchricomi: τρίχες enim Græce, Latine capilli dicuntur, κάλλος uero pulchritudo, appellatiõisq́; ratio & causa fuit ipsius effectus, quo capillos tingit, pulchrioresq́; reddit & splẽdidiores.

Adianton.) Sic dictum est à Grecis quod ου διαίνεται, id est non madescit. Nam ut in Theriacis Nicãder tradit, Purumq́; adianton in quo nec descendente imbre minimum è cœlo cadens stillicidium folijs insidet. Et Theophrastus ait, Et quod in adiãto accidit. Neq; enim madet folium eius aqua cõspersum, neq; humoris aliquid in eo uestigium remanet. Vnde & nomen illi factũ est. Plinius item, Aliud, inquit, adianto miraculum, æstate uiret, bruma non marcescit, aquas respuit, perfusum, mersumq́; sic

co ſimile eſt, tanta diſſociatio deprehenditur. Vnde & nomen à Græcis. Polytrichon.) Polytrichon appellatum eſt quaſi multicomũ ab effectu, eo quod capillos multos & denſos naſci faciat & defluere prohibeat. Nam ut Plinius lib. 25. ait, defluentem capillum confirmat & denſat. Trichomanes.) Trichomanes dictum eſt à ui ſua, quod rara cute fluentem capillũ explet & ſubnaſci facit. Græci enim μανὸν rarum uocãt. Trichophyes.) Trichophyes nuncupatũ eſt, quaſi capillaris herba, eo quod capillos naſci faciat, à uerbo φύω, quod eſt produco & naſci facio. Selinophyllon.) id eſt apij foliũ. Sic dictum fortè à ſimilitudine quadam foliorum. Diphyes.) Diphyes uocatum eſt quaſi geminum & duplicis ſed diuerſæ naturæ, eo quod humentia loca ſequatur, & tamen aquas reſpuat nec ſentiat. Heracleos pogon.) id eſt Herculis barbam, quod barbæ formam præ ſe ferat. Sic enim confertim ſimul naſcuntur coliculi. Hippomanes.) Hippomanes appellatum eſt quod amoribus conciliandis accommodum ſit, quemadmodum equi caruncula, quæ hippomanes uocatur. Nam uti Plinius & Dioſcorides tradunt, perdices & gallinaceos pugnaciores reddit cibarijs eorũ admixtum. Scolopendrion.) Scolopendrion & aſplenon eſt appellatum à ſimilitudine quadam foliorum. Nam quemadmodum ſcolopẽdrion, quod & aſplenon dicit, folia habet inciſuris diuiſa, ut tradit Dioſcorides, ſic etiam callitrichon hoc. Scolibrochon.) Quod ſi Græce σκωλήβροχος ſcriptum eſt, tũc dictum ſic eſſe putari poteſt quaſi uermium & ſerpentium uenenatorumq́ laqueus & ſtrangulator, eo quod uenenis illorum reſiſtit autore Plinio & Dioſcoride: idq́ facto nomine à σκώληξ, quod eſt uermis, & βρόχος laqueus. Sin autem σκολίβροχος ſcriptum eſt, tunc appellationis ſuæ rationem habet quod malignæ naturæ ſit erga aquam, ut quam ſemper ſequatur, & tamen reſpuat nec ſentiat, ceu iam dictum eſt in dictione diphyes. σκολιὸς enim Græcis

mali-

malignus, & βρόχη aqua pluuia est. Amiãton.) Amianton est nũcupatum, quasi purum & illibatum: nam ut in adianto dictum iam est, nulla aquæ aspersione polluitur. Estq́ Græcis ἀμίαντος purus, mundus & impollutus. Capillum Veneris.) Capillus Veneris, herba capillaris & crinita, omnes heæ appellationes à capillis originem habent, & nominis rationem quę in callitricho & polytricho Græcis uocabulis iam supra dicta est. Et quo maiestas aliqua illi accederet, adiecta est illi uox Veneris, quæ & pulchricoma depingit & amatoribus accepta est. Saxifragã.) Cur hoc nomine appellata sit, docet nos Plinius lib. 22. cap. 21. dicens, Calculos è corpore mire pellit frãgitq́: utiq; nigrum. Qua de causa potius q̃ quod in saxis nasceretur, à nostris saxifragũ appellatũ crediderim.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE MOLY.

CAPVT XLVIII.



MOLY clarissima herbarũ est, Homero testante, & inuentionem eius Mercurio assignante, qui naturã eius & succi beneficia demonstrauit. Radice rotunda nigraq́, magnitudine cepæ.

1 Ad matricis dolorem.

Herba moly contusa & imposita, dolorem matricis aufert potenter.

COMMENTARII.



MOLY, ut tradit Dioscorides lib. 3. cap. 50. herba est quã aliqui leucoion agrion, id est syluestrem uiolam uocant, graminis folia habens, latiora tantum, per terram sparsa: flores uiolæ similes colore lacteo, minores tamen & ad purpureæ uiolæ ma-

gnitudinem accedentes: caulem candidum longitudine quatuor cubitorum, in cuius summo allij quiddã simile est: radix illi parua bulbosaq́;. Porrò Plinius lib. 25. cap. 4. de hac sic tradit, Laudatissima herbarum est, Homero teste, quam uocari ab dijs putant moly. Ast inuentionem eius Mercurio assignat, cõtraq́; summa ueneficia demonstrat. Nasci eam hodie circa Phœneum & in Cyllene Arcadiæ tradunt, specie illa Homerica, radice rotunda nigraq́;, magnitudine cepæ, folio scyllæ, effodi autem difficulter. Græci autores florem eius luteum pinxere, quum Homerus cãdidum scripserit. Inueni è peritis herbarum medicis qui in Italia nasci eam diceret, afferriq́; Campania mihi aliquot diebus effossam inter difficultates saxeas radicis triginta pedes longæ: ac ne sic quidem solidæ, sed abruptę. Hactenus Plinius. Verum quia Homeri testimonio utitur Apuleius, subscribamus uersus eius qbus moly herbã describit Odyssee rapsodia decima, sunt aũt hij,

Ὣς ἄρα φωνήσας πόρε φάρμακον Ἀργειφόντης
Ἐκ γαίης ἐρύσας, καί μοι φύσιν αὐτοῦ ἔδειξεν.
Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος.
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δὲ τ᾽ ὀρύσσειν,
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Quod est, Sic utiq; dicens dedit pharmacum Mercurius, ex terra eruens, & mihi naturam ipsius demonstrauit. Radix quidem nigra erat, lacti uero similis flos. Moly uocãt dei: difficile uero fodere uiris mortalibus, dei uero omnia possunt. Cæterum quod in omnibus exemplaribus uarie & citra ueri sensum legebatur, Contraq́; eius succũ beneficia demõstrat, &, Contraq́; ius suum cum beneficio demõstratur: nos ex Homero reddidimus, Qui naturam eius & succi beneficia demonstrauit. Quod si cui potius ex Plinio sic restituẽdum uidebitur, Contraq́; summa ueneficia demonstrante: sit & suus illi sensus.

Nomina

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE HELIOTROPII.

CAPVT XLIX.



A GRAECIS dicitur heliotropion & heliostrophion, quibusdam heliopon, aliquibus † dia lion, alijs sesamon agrion, item scorpioctonon, item heraclea, alijs sideritesis, alijs ura scorpiu, siue scorpiuros, Prophetæ gonon chronu, Galli hæmatiten, Pythagoras † pareoron, Osthanes putagonon, Aegyptij nisine, Latini uertumnum, alij mulcetram, alij intybum syluaticum, alij solsequium. Nomen accepit primo quod æstiuo solstitio floreat, uel quod Solis motibus folia cōuertat. Sed est specie duplex, quarum altera maior appellata est scorpiuros à similitudine caudæ scorpionis. Alia minor. Maior igitur nascitur in asperis locis tenui radice ex qua ramulos quatuor aut quinq;, atq; ab ipsis plurimas furcas emittit, folijs ocimo similibus, paulò maiorib. atq; succulentis, & nigrioribus & asperis, cū flore in summitate tenui & ueluti purpureo atq; uncato in similitudinem caudæ scorpionum. Minor item herbæ species similis est supradictæ. Nascitur locis concauis, folijs rotundis, semine pendenti in acrochordonum similitudinem. Eius herbæ diuinæ ad Solis cursum floscelli se uertunt, & cum Sol occidit, flores se claudūt: rursum cum oritur, floscelli se aperiunt. Nasci amat ubique locis cultis, mundis & pratis. Facit ad remedia ista.

alias dianthos.

alias paroëpon

I. Ad omne uenenum.

Herbæ heliotropij puluerem mollissimū aut suc-

cum eius cum uino uetere optimo potui dato, mire uenenum discutit.

2 Ad luxum.

Herbæ heliotropij folia contusa & apposita efficaciter sanare creduntur.

3 Ad serpentium morsus & scorpionum ictus.

Herba solago maior desiccata et in pulverem mollissimum redacta, in uino potui data, & ipsa contusa plagæ superimposita perfecte serpentium morsus ad sanitatem perducit, & scorpionis ictus dolorẽ aufert.

COMMENTARII.



HELIOTROPION nunc cicoreã, Germani *wägwart* & *Sonnenwirbel* uocant, ab aliquibus intybum syluaticum dictũ, ut tradit Apuleius, qui illud in species diuidẽs, de maiore præsenti agit capite, de minore uero seorsum infra sub nomine solaginis minoris. Dictum est autem heliotropion, similiter & heliostrophion à Sole qui helios, & ipsorũ ad hunc conuersione & reuolutiõe, quæ τροπὴ & στροφὴ, id est trope & strophe Græcis dicitur, eo quod ad Solem se uertat, & ad motum ipsius circumagatur herba: quod & Plinius testatur lib. 22. cap. 21. dicẽs, Heliotropij miraculum sæpius diximus cum Sole se circumagentis, etiam nubilo die, tantus syderis amor est: nocte uelut desiderio contrahit cæruleum florem. Et lib. 2. cap. 42. Miretur, inquit, hoc qui non obseruet quotidiano experimento herbam unam, quæ uocatur heliotropion, abeuntem solem intueri semper, omnibusꝙ horis cum eo uerti, uel nubilo obũbrante. In quibus uerbis & alterius uocabuli, quod est heliopon, ratio redditur, uidelicet quod Solẽ intueatur & aspiciat, quam & Varro libro de re rustica primo, cap. 49. tan

quam

quam potiorem refert cum ait, Nec minus admirandum quod fit in floribus quos uocāt heliotropia, ab eo quod Solis ortum mane spectant, & eius iter ita sequuntur ad occasum ut ad eum semper spectent. Quę causa etiam fuit ut à Latinis uertumnum, solsequium, solago, & quo Celsus utitur nomine, solaris herba fit dicta. Dialion.) Quod hic est dialion, id in exemplaribus nostris habetur dianthos, quasi Iouis flos. Sesamon agrion.) id est agreste sesamum. Sic dictum fortè quod semen in folliculo ut illud ferat. Nam ut Plinius ait, semen in folliculo messibus colligitur. Scorpioctonon.) Scorpioctonon dictum est à uerbo κτείνω quod est occido, idq; ob effectum quo scorpiones enecat, & aduersus ictus illorum præsentaneas uires habet: quam appellationem Plinius quoque lib. 22. cap. 21. innuere uidetur cum de minoris specie ait, Verrucas cum sale tollit succus è folio: unde nostri uerrucariam herbam appellauere, aliјs cognominari effectibus digniorem. Nanq; & serpentibus & scorpionibus resistit ex uino & aqua mulsa, ut Apollophanes & Apollodorus tradunt. Verum à scorpionibus & alia nomina habet, ceu ura scorpiu, & quod idē est scorpiuros, id est cauda scorpionis, idq; à floris siue seminis figura & inflexione, quod scorpionum caudæ formam seu figuram repræsentet, ut tradit Apuleius. Dioscorides id ad florem refert dicens, A floris figura dicta scorpiuros herba est: & mox post, In ramulorū summo cādidum florem purpurascentem scorpionum caudæ modo inflexum profert. Sed Plinius de minore agens à seminis inflexione ita dictum testatur dicens, Semen ei est effigie scorpionis caudæ, quare nomen scilicet scorpiuros. Heraclea.) Heraclea & sideritesis appellata uidetur à similitudine quadam herbæ quæ hiјs proprie nominibus appellatur. Mulcetra.) Sic dicta uidetur quod constipatum uentrem deliniat & molliat superfluentiaq; per aluum deducat. Locis concauis.) Intelligit loca palustria & paludes iuxta quas na

scitur. Acrochordonum.) id est uerrucarum: ἀκροχορδὼν enim uerruca est.

DE VIRTVTIBVS GRIADIS HERBAE.

CAPVT L.



NASCITVR in Lucania, marmoris albi colorem habens, quatuor rubicūdis ornata cauliculis. Has potentias habet.

1 Ad ischiadicos.

Herba grias cum adipe ursino cōtusa & quasi malagmatis genus imposita, ischiadicos tertia die sanat.

2 Ad omnes corporis dolores.

Herbæ griadis radix pisata & imposita, omnes dolores mirabiliter sedat.

COMMENTARII.



GRIAS quæ herba sit, apud autores alios non reperimus, diuq; dubitauimus & adhuc dubitamus an Dioscoridis sit gnaphaliō, sed nihil certo de hoc statuere audemus, cēsemusq; Germanis peregrinā, ut quæ natales suos in Lucania inter Campaniam & Brutium habeat, aut saltem incognitam nunc esse herbam.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE POLYTRICHI.

CAPVT LI.



GRAECI polytrichon, aliȷ adianton, aliȷ trichomanes, aliȷ ebenotrichon, aliȷ eupteron, Aegyptiȷ ethui, Romani cincinalem, aliȷ terræ

capil-

capillum, alij supercilium terræ uocant. Nascitur in parietibus & humorosis locis. Hæc etiam herba callitrichon appellatur, de qua superius loquuti sumus & quam antea posuimus.

1 Ad coli dolorem.

Herbæ polytrichi, quæ habet ramusculos quasi seta porcina, folia cum piperis granis nouem et seminis coriandri granis nouẽ, simul contrita cum uino optimo dabis bibere intranti in balneum. Facit & ad capillos mulierum nutriendos si in oleo decoquatur.

COMMENTARII.



OLYTRICHON hoc est quod Dioscorides libro 4. sub trichomanis nomine describens, ijsdem quibus adianton locis nasci tradit, filici simile, multo breuius: & ex utraq; parte folia deinceps habere tenuia, lenti similia, contrarijs inuicem pediculis in gracilibus, nitentibus & nigrescentibus ramulis, quos Apuleius setæ porcinæ comparat. Item Plinius lib. 27. cap. 13. Trichomanes adianto similis est, exilius modo, nigriusq́; folijs lenticulæ densis, amaris, aduersis in se. Germani hanc herbam *Widertodt* appellant, quasi contra mortem sit efficax. Ebenotrichon.) Ebenotrichon dictum est ebeni capillus, id est niger, & quali colore ebenus est, idq́; eo quod folia habeat & coliculos nigrescentes. Eupteron.) Sic appellatum est quasi pinnula, eo quod pennatum eius folium sit, & ceu in alis auium pennæ folia deinceps disposita. Cincinalem.) id est capillarem. Cincinni enim crines sunt intorti, à quorum forma nomen habet, quæ causa etiam est ut terræ capillus & supercilium terræ sit dictum.

NOMINA ET VIRTVTES
HASTVLAE REGIAE.

CAPVT LII.


ASTVLA regia Græce moloche agria dicitur.

1 Ad dysentericos.

Herbæ hastulæ regiæ radix cum uino trita potui detur dysentericis, statim sentient beneficium.

2 Ad uentris fluxum restringendum.

Herbæ hastulæ regiæ semen mixtum cum aceto acerrimo potui datum, uentrem constringit.

COMMENTARII.


ASTVLA regia hæc est nõ ea quæ asphodelos Græce dicitur, & de qua habitum est supra capite 38. Sed moloche agria, id est malua agrestis, altheę species flore insigni roseo, quem Germani *Herbstrosen*, id est autumnalẽ rosam uocant. Nominisq; hastulæ regiæ rationem eandem putamus, quæ & prioris fuit.

NOMINA ET VIRTVTES PAPAVERIS SYLVATICI.

CAPVT LIII.


RAECI mecona ceratitin, alij aphroden, alij heraclion, alij mecona agrion, alij mecona rhœada, alij anemonen & enemion, alij oxytonon, alij prosopõ, alij lethen, alij lethusan, alij oniron, Prophetæ basilicon persephonion appellant, Itali papauer album, papauer nigrum, papauer agreste, papauer syluaticũ, folliculosum. Mecona Latini papauer dicunt. Eius alia est usualis, quæ etiã folliculosa uocatur. Alia agrestis, & aliter rhœas appellata,

lata, siquidem ex ipsa fluit succus, quem appellant opium: uel quod facile florem dimittat. Alia ceratitis siue aphrodes. Est igitur usualis longioris capitis atq; semine albo. Agrestis uero, quæ rhœas appellatur, est capite sessili, semine nigriore. Alia aridior atq; agrestior, cuius caput longius, atq; flores rubri uel albi, semen fuluum, radix subalbida, longa, minimi digiti robore, & colligitur uerno tempore. Ceratitis uero nascitur in littoribus erecto thyrso atq; hirto, folijs insectis, hirtis, albis, flore pallido, fructu paruo uncato ut cornu, semine nigro, paruo, radice ualida, nigra atq; in superficie terræ. Item aphrodes, quæ appellatur heraclios, ex omni parte alba est, eius semen colligitur æstiuo tempore aridum.

1 Ad epiphoras oculorum.

Herbæ papaueris syluatici fructum, id est, caliculos cum suo semine pisatum cum aceto oculis impones, sedabit dolorem.

2 Ad hemicraniũ & capitis dolorẽ.

Herbam papauer syluaticum pisatam cum aceto fronti impones, sedabit dolorem.

3 Ad eos qui non dormiunt.

Herbæ papaueris syluatici succo si quem perunges, somnum ei cum sopore obijciet.

COMMENTARII.



DESCRIBIT hoc capite Apuleius papauerũ genera, omniumq; nomina permiscet: sed quod ad curationes attinet, unius tãtum, agrestis scilicet, quod syluaticum uocat: nec omnis quidẽ, sed eius tantum quod inter satiua agrestis nomine censetur, & ipse rhœada uocari dicit, medicas uires et naturam prosequitur. Sed quo clarius horum generum discrimen

habeatur, ſciendum eſt papauer prima ſui diuiſione ſecerni in ſatiuum & agreſtia. Et ſatiui iterum tria genera eſſe, unum proprie, per ſe & uere ſatiuum appellatum, quod Dioſcorides ab utris forma thylacite, id eſt utricularium, Plinius cādidum, Apuleius uſuale & folliculoſum uocat, cuius ſemen in ſanitatis uſu pani inſperſum compinſebatur, & cum melle in ſecunda menſa apud antiquos edebatur, teſte Dioſcoride & Plinio: quæ cauſa etiā eſt, ut uſuale ſit uocatum ab Apuleio, quemadmodū à uaſculi ipſius in follis ſiue utris modum formati effigie folliculoſum. Alterum genus eſt quod Dioſcorides ſylueſtre & à dolij forma pithite, id eſt doliare & rhœada, Plinius nigrum, Apuleius agreſte, ſyluaticum & rhœada uocat: & ex hoc opion fiebat & meconium. Tertium genus eſt hijs ſylueſtrius & medicamentoſius, quod Plinius contra quàm Dioſcorides & Apuleius tradiderunt, rhœada à Græcis, à noſtris erraticum uocari dicit. Et hæc duo poſteriora genera, natura quidem agreſtia ſunt, humano tamen opere, ſtudio & uſu tantum ſatiua, non natura. Sed ſunt & alia agreſtia quæ nunquam ſatiua fiunt, quale eſt ceratites, id eſt corniculare, & aphrodes, id eſt ſpumeum heracleumq; uocatum. Inter quę tamen omnia ſatiua & agreſtia mediū genus eſt, ut tradit lib. 20. Plinius, quod niſi in aruis eſſet, ſponte naſceretur. Rhœan uocauimus & erraticum, quod quidam decerptum protinus cum toto calice mandunt. Et hoc eſt quod inter ſatiua tertio loco numeratum eſt, ceu ex deſcriptione & hiſtoria ipſius apud autores maniſeſto patet, omnibus in hac concordantibus, & de ipſa conſimiliter tradētibus, Theophraſto quidem lib. 9. de plātarum hiſtoria, Dioſcoride lib. 4. cap. proprio antequam de ſatiuo ageret, quare inter ſatiua non opus erat ei deſcriptionem ipſius repetere: item Plinio nat. hiſtoriæ lib. 19. cap. 8. & hic Apuleio. Qui uolet, habet loca unde illa requirat. Sed de hijs nunc ſatis. Mecona ceratitin.) id eſt, papauer cornutum ſiue corniculare: ſic di-
ctum

ctum à cornu, ut Plinius, Dioscorides & Apuleius tradunt, eo quod fructum habeat & caliculum uncatum & cornu modo inflexum. Seu ut Theophrastus tradit à ceratijs, id est siliquis, quod fructus eius inflexus siliquis illis sit similis. Et hæc proprium syluestrium genus constituit appellatio. Aphroden.) id est, spumeum: aphros enim spuma est: sicq; dictum est à candore & raritate spumæ. Estq; & hæc proprij syluestris generis appellatio, & alio nomine etiam heraclion uocatur, idq; aut ab Hercule aut à ciuitate Heraclea, ad quam frequens & speciosum nascebatur. Rhœada.) Rhœas dictum est ἀπὸ τοῦ ῥέειν, quod est fluere, cuius appellationis ratio et causa refertur ab Apuleio in historia. Anemonen.) Anemone & enemion nuncupatum est à similitudine herbæ, quæ proprie hijs nominibus appellatur. Oxytonon.) Oxytonon dictum est quasi stridulum, eo quod motis caliculis semen quod in illis cõtinetur strideat & sonitum reddat. Prosopon.) id est personã, eo quod uiuis mortis personã induat succus in maiore copia potus. Nam ut Dioscorides tradit, Inexpugnabilem somni necessitatẽ quam lethargum dicunt, usq; ad mortem facit. Lethen.) Lethe & lethusa dictum est ab obliuione, quæ Græcis lethe dicitur, eo quod obliuiosum somnũ inducat. Oniron.) Oniros appellatum est quasi somnium, quod Græce ὄνειρον uocatur, eo quod somnum adferat & soporem. Basilicon persephonion.) id est regium proserpineum, eo quod copiosior haustus succus non modo soporem, sed & mortem per somnũ adferat, & ad inferos Proserpinæ regiam bibentes transmittat. Quæ deinde sequuntur appellationes album & nigrum, specierum differentię sunt.

Capitis.) Caput uocat calicem, & per diminutionem caliculum & uasculum ipsius in quos semen continetur.

Fructu paruo.) id est capite & uasculo in quo semen continetur breui. Ex omni parte.) scilicet fructu, radice & tota herba. Ad epiphoras oculorũ.) Epipho-

ra in oculis dicitur, autore Galeno, ubi copiosa eò conflu
xerit destillatio, accedente inflammatione cum tumore et
oculi motu difficili. Dicitur etiam cõmunius in reliquis
corporis partibus uehemens & magna inflammatio con
fluentibus etiam abũde in ipsam humoribus, epiphora.
Quare cuius partis epiphoras intelligeret, oculorum no
2 men adiecit. Ad hemicranium.) Hemicranius siue he
micrania morbus est capitis acutus & uehemens, dimidi
am eius partem occupans & infestans. Plinius heterocra
nion uocat, sub quo nomine ipsum Galenus sic describit,
Heterocrania est cum in sinistra dextràue capitis parte do
lor fit, isq́ue aliquando augetur & acuitur, aliquando re-
missus languet & minuitur. Qui sic laborãt, hemicranici
uocantur, ἀπὸ τοῦ κρανίου, id est à cranio, quod supernum ca
pitis os est & hemisphærium summum, Latini caluam &
caluariam uocant: ἡμι uero Græcis idem est quod semis
3 & dimidium Latinis. Ad eos qui non dormiũt.) Seu
ut prius impressus codex habet, Ad somnum prouocan-
dum scilicet hijs qui uigilijs, quæ plerisq; inter mala uni-
uersi corporis sunt, ut Plinius ait, infestantur & dormire
non possunt. Somnũ cum sopore.) hoc est somnum
profundũ, & si immoderatius adhibitus fuerit, noxium
quoq;, quare caute agendum ne sopor & inexpugnabilis
dormiendi necessitas, quam lethargum Græci nominãt,
sequatur: sępius enim celeriter iugulare is solet. Quare ha
benda est moderatio, quæ necessaria est, ne quem, ut Cel
sus lib. 3. ait, obdormire uolumus, excitare postea nõ pos-
simus. Plusq́ue est dicere sopor quàm somnus: hicq́ue salu-
bris est, ille uero malus & noxius: quod & Plinius nobis
innuit dicens, Curandum ne somnus sopor fiat.

DE HERBA OENANTHE.

CAPVT LIIII.

1 Ad stranguriam.

Herbæ

Herbæ œnãthes radicem in puluerem redactã dato ad ſtranguriã in uini cyathis duobus, ſumme facit.

2 Aduerſus tuſſim.

Oenanthes herbæ radicem dabis potui ut ſupra, tuſſim ſedat.

COMMENTARII.



ENANTHE idẽ eſt dicere quod uiniflora, Eſtq́ duûm generum, una quæ in uitium genere labruſcæ flos eſt, & primo & per ſe nomine ipſo uinum & florem indicat: œnos ẽnim uinum, & anthos flos eſt. Altera de qua hic agitur herba eſt, & inter coronarias & flores qui ſecũdi per Ver florẽt à Theophraſto numeratur. Sic dicta à floris & odoris ſui cum alia ſimilitudine, eo quod candidus & racemoſus ut in labruſca illi flos ſit, & odor qualis in uitis flore ſentitur. Naſcitur autem in petris, folio paſtinacæ, flore candido, caule craſſo & dodrantali, ſemine ut atriplicis, radice magna, numeroſa ſeu in qua numeroſa ſint rotunda capita & tubera, autor Plin. lib. 21. & Dioſcorides lib. 3.

NOMINA ET VIRTVTES NARCISSI.

CAPVT LV.



ARCISSVS à Græcis dicitur anhydros, autogenes, bolbos emeticos, Aegyptij emptonem, Prophetæ cynogloſſan, Latini bulbũ uomitorium uocauerunt. Naſcitur thyrſo bipalmi, folijs porri ſimilibus, ſed paulò breuioribus, flore albo, interius croceo, uel in aliquibus purpureo, fructu ſiue ſemine ut in membranula nigro, †imagine bulbi. *aliàs in magnitudine.*

1 Ad uulnera quæ ex se nascuntur.

Herbæ narcissi radix contusa cum oleo & farina uice cataplasmatis imponit uulneri, & sanat mirifice.

2. Ad phthisicos uel colicos.

Herbam narcissum tusam & potui datam colicis uel tussientibus prodesse dicimus. Si autem uolueris oleum facere, herbæ narcissi florem in oleum mittes, & perunges infirmum, miraberis rem certam.

COMMENTARII.



PLINIVS lib. 21. cap. 5. & 19. item Dioscorides libro 4. cap. 151. narcissi duo genera faciunt, licet à Theophrasto & Apuleio non nisi unum genus constituatur: nisi ex floris diuersitate duplex eius genus facere uoluerint. Est autem planta narcissus congener aut saltem similis lilio, quare quidā ipsum non minus quàm lilium lirion uocant, ut tradit Dioscorides: estq; illi radix, quam plantæ partem indescriptam reliquit Apuleius, intus cādida, rotūda & bulbosa. Sunt qui hermodactylum esse uelint narcissum, quorum opinioni & nos subscriberemus, nisi certius sciremus hermodactylum esse hieronbulbū, qui & colchicon dicitur, de quo habitum est supra cap. 21. Non tamen omnino negamus ex hermodactylorū genere esse posse narcissum, cum & ipsorum plura genera faciant aliqui. Cæterum dictus est narcissus, autore Plinio, non à fabuloso puero, ut fingunt poetæ, sed à narce quod torpor est, quoniam dolores & torpidas capitis grauitates facit: idemq; testatur Symposij lib. 3. cap. 1. Plutarchus dicens, Et narcissum appellauerunt quasi neruos hebetantem & torpidas facientem grauitates, quapropter & Sophocles ipsum antiquū magnorum deorum, id est subterraneorum coronamentum uocauit. Anydros.) Sic appellatum est, eo quod longe ab aquis in montanis floret. Autogenes.) id est à seipso

à seipso genitum uel per se nascens, quod sponte sua germinet & nascatur, ut tradit Theophrastus de plantarum historia lib. 6. licet ut ibidem etiam testatur idem, semen etiam collectum in terra seratur, & radix ut in cæteris bulbis non minus plãtetur. Bolbos emeticos.) id est bulbus uomitorius: sic dictus quod bulbosæ radicis sit & adciendas uomitiones. Alius tamen est à bulbo uomitorio, de quo lib. 2. agit Dioscorides. Cynoglossan.) id est linguam caninam propter similitudinem foliorum ad folia herbæ canina lingua proprie uocatæ. Imagine bulbi.) Siue ut prius impressus codex habet, in magnitudine bulbi: & hoc ad membranulã ipsam in qua semen continetur, referendum est. Vulnera quæ ex se nascũtur.) C. 1. id est ulcera quæ per se nascũtur & intra seipsa corrũpuntur, temporisq́ mora contabescunt putrescuntq́. Farina.) maxime scilicet erui, ut ex Dioscoride colligitur.

Phthisicos.) id est eos qui phthisi laborãt: quæ, ut Galenus tradit, pulmonis exulceratio est, quam febricula & frequens tussis & macies corporis sequitur. 2

NOMINA ET VIRTVTES SPLENII ET LONCHITIDIS.

CAPVT LVI.



A GRAECIS dicitur lonchitis, aliĵs hemionion, aliĵs scolopendrion, aliĵs phrygia, aliĵs phrygitis, aliĵs philtrodotes, aliĵs teucrion, Prophetæ hæma gales. Lonchitis folia habet rubra, flores nigros, comicorum uultibus hiscentibus similes, semen albũ, simile lanceæ latum, radicem similem dauci. Aliĵs uirtutibus traditur etiam alia lonchitis similis scolopendriæ, cum aceto spleneticos medens in potu data.

1 Ad splenis dolorem.

Herbæ splenij radicem pisatam & in puluerẽ mollissimum redactam uino leniore potui dato, summam rem experieris. Cõstatq́ eam sic esse inuentã. Quum exta in sacrificio super eam essent proiecta, ferunt adhæsisse lieni, eumq́ exinanisse: propter hoc à quibusdam splenion uocatur. Item narrãt quidam sues, qui radicem eius ederint, sine splene inueniri. Quidã ramis hyssopi surculosam, folio fabæ eodem nomine appellant. Legunt autem eam dum floret, maximeq́ ex Ciliciæ & Pysidiæ montibus laudant.

COMMENTARII.



MISCET cõfunditq́ hoc capite diuersas herbas Apuleius, ceu splenion, quod & teucrion dicitur, & lonchitin, quam lanceolam Latine dixeris: idq́ ea ratione & causa factum censemus, quoniam eiusdem sunt potestatis & naturæ, qua lieni medentur. Estq́ maior nominum pars ex aspleno Dioscoridis huc translata ceu scolopendrion, phrygia, phrygitis, philtrodotes, hæmagales & hemionion. Porrò post nomenclaturas statim lonchitin describit, quæ quo facilius agnoscatur historiã ipsius ex Plinio & Dioscoride etiam subnectemus. Siquidem Plinius lib. 25. cap. 9. sic eam depingit. Lõchitis cuspidi similis semine, habet folia porri rubentia ad radicem & plura, in caule capitula personis comicis similia paruam exerentibus linguam, radicibus prælongis. Nascitur in sitientibus. At Dioscorides lib. 3. Lonchitis, inquit, folia habet porro quod platycarpon uocãt similia, latiora tamen, numerosa & rubentia, ad radicem plurima & in terram refracta, habet et pauciora circa caulem, in quo flores sunt, pileolorum forma comicis personis hiantibus similes, ipsi quidem nigri, candidum quiddam tamen ab hiatu oris ueluti lingula ad inferius

labrum exeritur. Semen cuspidi lanceæ simile habet, triquetrũ in pericarpijs clausum, unde & nomen lonchitis inuenit. Radicem syluestri pastinacæ, quam daucum dicũt, similem habet. Nascitur locis asperis & siccis. Sed de lonchitide satis superq;. Quæ demum post curationem sequitur splenij inuentio & historia, teucrio cõuenit, atq; ex Plinio lib. 25. cap. 5. totum id huc trãscriptum uidetur. Sic enim ibidẽ legitur, Inuenit & Teucer teucrion, quam quidam hemionion uocant, spargentem iuncos tenues, folia curua, asperis locis nascentem, austero sapore, nunquã florentem, neq; semen gignit. Medetur lienibus: constatq; sic inuẽtam. Quum exta super eam proiecta essent, fertur adhæsisse lieni, eumq; exinanisse, ob id à quibusdã splenion uocatur. Narrant sues qui radicem eius edunt, sine splene inueniri. Quidam ramis hyssopi surculosam, folio fabæ, eodem nomine appellant, & colligi florentem adhuc iubent, adeo florere non dubitãt, maximeq; ex Cilicijs & Pysidiæ montibus laudant. Hæc ille, cuius autoritate & exemplariorum nostrorũ fide nixi, quod in prius impresso codice erat Persidis, nos reddidimus Pysidiæ, sunt autẽ om̃es Asiæ regiones. Sed quo melius teucrion agnoscat & facilius sit inuentu, Dioscoridẽ ipsum describentem audiamus etiã, qui sic ait lib. 3. Virgata herba est teucrion, trixagini similis, tenui folio ciceris figura. Nascitur plurima in Cilicia, eiusq; partibus quas Gẽtiaden & Cissaden uocant. Hæc hactenus.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE POLII.

CAPVT LVII.



GRAECI polion, alij pheuxaspidion, alij achemenin, alij libanitin, alij melosmon, alij belion, alij leontocaron uocãt, Aegyptij catho

tis, Latini conulam, Martialis neptuniam. Duæ eius sunt species, alia est fruticosa atque inutilis, altera syluestris frutice bipalmi, albo, folijs tenuibus, semine pleno, cum capitello in summitate paruulo, comoso, ueluti cana capillatura, frangēti odoris grauissimi cum quadam iucunditate. Nascitur locis asperis.

I Ad lunaticos.

Herbam polion conteres, & succum eius commisces cum aceto scyllitico & perunges eos, curabūtur. Item pilulam eius & radicem in linteolo mundo circa collum eius qui patitur, ligabis. Experimentū est ualde optimum. Nosipsi experti sumus.

COMMENTARII.



OLIVM qualis planta sit, ab autore satis describitur: dictūque sic est quasi canum à canicie, quoniam in summitate corymbi figura capitulum habet paruum comosum, ueluti canam capillaturam & cano hominis capillo simile, ut Dioscorides libro 3. & hic Apuleius tradunt, seu ut Plinius lib. 21. cap. 7. ait, folia canis hominis similia. Pheuxaspidion.) Sic appellatum est, quoniam aspida et omnia uenenata instratum pariter & incensum fugat, ut tradit Dioscorides.

Achemenin.) Achemenis dicta uidetur à magica illa achemenide, eo quod quemadmodum illa (ut Plinius libro 26. cap. 4. refert) coniecta in aciem hostium trepidare om̄ia ac terga uertere dicebatur: ita polium hoc iniectum & instratū omnia fugat uenenata. Libanitin.) Quod in alijs legebatur ebenitis, id nos exemplariorum nostrorum autoritate reddidimus libanitis: sicque appellatum est ab odoris grauitate & iucūditate. Est enim grauiter cum suauitate aliqua odoratū ceu thus, quod libanos dicitur.

Melosmon.) Sic dictum est à grato & iucundo mali seu pomi odore quodā. Græcis enim melon idē est quod

pomum,

pomum, osmos uero odor. Leontocaron.) Leontocaron appellatur quasi leoninum caput, eo quod comosum capitulum habeat, quemadmodum & leonis caput comosum est. Conula.) Sic appellata est à similitudine quadam origani, quæ proprie conyla dicitur. Cæteræ duæ appellationes, utpote belion, quæ in exemplaribus nostris non habetur, & neptunia huic adcreuerunt ex tripolio cui potius conueniunt, cuius flores ter die mutari conspiciuntur, ut aliqui uolunt, & circa maritima nascitur, Neptuno mari dominãte. Plinius item polium cum tripolio perperam confundit. Pilulam.) Per pilulam intelligit capitulum ipsum, quod in corymbi & pilæ figuram habet. C.I.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE VICTORIALAE.

CAPVT LVIII.

EVPEPLIOS Græce, daphnoides, hypoglossion, eupetalon, diglossos, nycephyllon, pelleon, idæa daphne, samothracia daphne, alexandrina daphne, mitrion, danaë, stephane alexandru, chamædaphne, carpophyllon, daphnitis, Latine peruinca, uictoriæ folium, laurus alexãdrina, macedonica, laurago, mustellago terrestris uocatur. Frutex est sępius cubitalis, folijs ut myrtus, paulò maioribus atq; tenerioribus & nõ infractis, gustu remordentibus & incendiosis. Hijs prædita est uirtutibus.

1 Ad phlegmata incidenda.

Herbæ uictorialæ folia pisabis, & succũ eius cyathis duobus dabis cum melle bibere ieiuno, mox phlegmata intercidet.

COMMENTARII.



ICTORIALA hæc est, nõ, ut falsò quidam uolunt, herba illa per terram serpens, & quã nunc temporis herbarij uincam peruincam, Germani *yngrüne* uel *wintergrüne* uocant, & à Dioscoride lib. 4. cap. 7. sub clematidis nomine tractatur: sed frutex, quem idem Dioscorides eiusdem lib. cap. 139. & Plin. lib. 23. daphnoiden, & nostræ ætatis herbarij laureolam, Germani *zyland* dicunt: & talis quidem qualis ab Apuleio describitur. Dicta est autem uictoriala, similiter & nycephyllon, hoc est, ut Latine reddidit Apuleius, uictoriç folium, à uictoria quod uictores ea pro lauro in triumphi & uictoriæ signum uterẽtur. Laurus enim erat quæ proprie triumphis dicabatur, uel gratissima domibus, Cæsarum pontificumq́ ianitrix: quæ sola domos exornabat, & ante limina excubabat, ut inquit Plinius lib. 15. cap. 30.

Eupeplios.) Sic dicta est à bona & speciosa foliorum pulchritudine, sicut quæ non longe sequitur appellatio, eupetalon: & quod semen sub folijs nascens feruido sapore, gustuq́ incendioso habet ceu peplis, quam peplion etiam uocat Hippocrates. Daphnoides.) Hæc propria ipsius est appellatio apud Græcos. Sic dicta à lauri forma & specie quã in folijs & fructu refert. Hypoglossion.) id est sublingium, quæ appellatio propter foliorum similitudinem ex lauro alexandrina huc trãslata est, quemadmodum & aliarum aliquot, ceu diglossos, id est bilinguis & duarum linguarum: pelleon ab Alexandro Pelleo uocato: idea daphne, id est idea laurus, nam daphne est laurus: Samothracia daphne, alexandrina daphne, mitrion quasi diademalis, danaë, stephane alexandru, id est corona Alexandri: laurus macedonica, ab eodem Alexandro Macedonũ rege. Chamædaphne.) id est humilis laurus: alia tamen ab ea de qua habitũ est supra cap. 27. Carpophyllon.) Dicta est carpophyllon, quoniã folijs adnatum fert semen & fructum, quem Græci καρπὸν dicunt.

Daphnitis.) Daphnitis uocatur quasi laureola siue laurago,

laurago, à foliorum lauri similitudine. Peruinca.) Peruinca dicta est à uinciendo, quoniam ramulos habet iunceo lentore flexiles, & in his corticē quoq; egregij lentoris & folia non facile fragilia. Mustillago terrestris.) Mustillago dicta est à lauro mustace, quā quod mustaceis subijceretur sic appellauit Pompeius Leneus, teste Plinio lib. 15. cap. 30. Cubitalis.) Cubitus est mensura quanta patet à cubiti flexura usq; ad summum mediū digitum, quæ ex 24. digitis seu palmis 6. constat. Folijs ut myrtus.) Quod in omnibus exemplaribus sine intellectu legebatur, muria, nos reddidimus myrtus, cui similia folia habet, & de qua Dioscorides lib. 1. cap. 139. Non infractis.) id est non facile fragilibus, sed lentis. Ad phlegmata incidenda.) hoc est, ad pituitas attenuādas, disijciendas, dissipandas & deducendas purgandasq;. Nā maximam uim habet purgandi pituitam, tum per inferna & aluum ipsam ducēdo, tum uomitiones, menses & sternutamenta ciendo, ac commanducatione oris pituitas purgando & extrahendo. C. I.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CONSOLIDAE.

CAPVT LIX.



RAECI xylophyton, symphyton, anachylin, anazetesin, Democritus hæmostasin, Latini conferbam, consolidam, inulam rusticam, Galli alum. Alia est petrosa, lignosa omnis, iucundi odoris, atq; saliuam prouocans, ramis origano & capitellis thymi similibus, radice longa, fulua, in robore digitali. Est & altera quæ appellatur etiam pectis, habens thyrsum bicubitalem, geniculatum, inanem, in quo folia hirta, angusta & ueluti longa cum adnatio-

nibus secundum genicula, flore nigro, fructu siue semine floccorum corticis simili, pruritum mouẽte, radices exterius nigras, interius argillosas, uirtutis densabilis.

1 Ad profluuium mulierum.

Herbæ consolidæ puluerem mollissime cõtritum potui dabis in uino, mox restringet.

2 Ad conuulsos uel intus ruptos.

Herbæ consolidæ radicem in cinere tepido coquito & ex melle ieiuno dabis ut edat, sanabitur: & thoracem totum purgabit.

3 Ad stomachi dolorem.

Herbam cõsolidã si cum oxygaro edat, magnum beneficium sentiet.

4 Ad tussim.

Herbæ symphyti radices in caldaria decoques cũ melle & pipere & castoreo ad quartas, & in uino uetere ieiuno dato in potu. Hæc herba hoc argumẽtum habet, ut carne bubula cõcisa & in caccabum missa, eius radicis si miseris drachmas duas, cocta caro in unum cohærebit.

COMMENTARII.



PVLEIVS quemadmodũ & Dioscorides consolidæ duo tantũ facit genera, cum recentiores plura etiam his constituant, ceu consolidã mediam, Teutonice *guntzelen*, tormentillam, consolidam regalem, Teutonice *ritterspözlin*, & quam Teutonice *maßlieben* uel *zeytlößlin* uocant: item diapensiam siue saniculam & alias quasdam, omnes quidem à consolidando & constipando, quã ui egregie pollent, dictæ consolidæ, præsertim heæ de quibus hic agit Apuleius, nam de aliis nihil ad præsens. Græci eadem ratione quod consolidet

σύμφυτον

σύμφυτον, id est symphyton uocant, Germani walwurtz dicunt. Xylophyton.) Sic dicta est quasi lignosa planta à duritie lignea: nam ut Dioscorides & Apuleius testātur, tota lignosa est, maxime prima species quę minor est, & petrea, eo quod in petris nascitur, cognominat. Anachylin.) Anachylis dicta est ab humorositate saliuosa & saliua humorosa succosáue, quam prouocat petrosa uocata consolida. Anazetesin.) Vide num potius duabus in unam mutatis literis legendum sit anazeusis: utcunq; tamen, habet id nominis à coniugatione, constipatione & consolidatione. Hæmostasin.) Hæmostasis appellata est quod sanguinis fluores sistat. Conferbā.) Conferba seu mauis conferua dicta est à ferruminando, hoc est conglutinādo. Ferruminare enim est metalla con iungere & conglutinare. Et ferruminatio est conglutinatio & iunctura, sed proprie metallorum: item ferrumen, quod est gluten. Omnia à ferro sic uocata, transferuntur tamen & ad alia. Est etiam alia herba seu spongia potius aquarū dicta conferua ratione eadem, de qua Plinius agit lib. 27. cap. 8. Sed de hac nihil ad præsens. Inulam rusticam.) Symphyton à quibusdam inulam rusticam uocari testis est etiam Scribonius Largus compositione medicinali 83. Sed si Plinium imitari uoluerimus, pro inula reponemus potius conylam: nam lib. 26. cap. 27. similē esse dicit cunylæ bubulæ, habet enim petreum scilicet, ramulos origano quod conyla dicitur similes, ut Apuleius & Dioscorides tradunt. Galli alum.) Quod erat allium Gallicū, id nos reddidimus, Galli alum: idq; Plinij etiam autoritate, qui lib. 26. cap. 7. ait, Halus autem quam Galli sic uocant, Veneti cotoneam. Et lib. 27. cap. 6. dicit, Alum nos uocamus, Græci symphyton petreum. Pectis.) Pectis appellata est quasi solidās & in duritiem densans, à uerbo πήγνυσθαι, quod densari, concerni & in glaciem gelari significat: & hæc secūdo generi quod maius est, & magnum symphyton uocatur à Galeno, conuenit appella-

tio. Adnationibus.) id est eminentibus productionibus & eminentijs quibusdam productis. Secundum.) id est secus & iuxta. Flore nigro.) id est luteo, qui ab albo uersus nigritiem tendit. Floccorũ corticis.) id est lanuginis asperę, quæ foliorum & totius caulis corticem & superficiem supercurrit, & manibus tractata pruritum excitat. Argillosas.) hoc est, candidas & albas, ab ar-
2 gilla quæ creta est albi coloris. Conuulsos.) Conuulsi dicuntur quibus in neruosa parte quapiã facta est citra uulnerationem unitatis solutio, quam spasmũ Græci uocant. Rupti uero sunt quibus in carnosa parte citra uulnerationem facta est diuisio, quam rhegma nominant Græci: sicut fracturam quæ in osse fit diuisio catagma, autore Galeno. Thoracem totum purgabit.) hoc est, pectus & pulmonem à malis & purulentis humoribus emundabit. Nec id mirum, quum ex contrarijs cõstet uirtutibus, autore Galeno & Paulo Aegineta, habet nanq; uim incidẽdi, qua purgat ea quæ in thorace uel pectore & pulmone purulenta concreuerunt: habet item humiditatẽ qua mansum sitim arcet: habet etiam solidandi, condensandi & constipãdi uim, qua sanguinis excreationibus & fluoribus reliquis medetur, sicq; ex contrarijs constat uirtuti
3 bus symphyton siue cõsolida. Oxygaro.) Oxygarum liquamen est ex aceto & garo compositũ. Garum autem exquisiti liquoris genus est, quod ex piscium carniũmue salsura exudat, &, ut Columellæ uerbo utar, exaniat, non quidem feculentum illud & carnosum quod in eo subsedit, sed quod liquidum & aquæ modo fluens supernatat. De piscium garo plura Plinius lib. 31. cap. 7. & 8. Calda
4 ria.) Caldaria uas est in quo aqua calefieri solebat, ahenum. Sicut cacabus est olla siue lebes et uas coquinarium in quo pulmẽtaria coquũtur: sic dictũ à sono quem facit dum feruet. Castoreo.) Castoreũ dicuntur castorum, id est fibrorum testiculi. Castor aũt animal est ἀμφίβιον, id est ambiguæ uitæ, quod in terra & aquis uitã agit, Teu
tonice

tonice *ein biber.* Argumentum.) hoc eſt, uirtutis & naturæ ſuæ rationem & probationem.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ASTERII.

CAPVT LX.



RAECORVM aliqui aſterion, alij aſteriſcon, alij aſtera atticon, quidã bubonion, alij hyophthalmon uocarunt, Latini inguinalem, Punici derdum. Herba eſt lignoſas habens uirgas, & florem in ſummitate nigrum tanquam anthemidis herbæ capitellum ambitum foliolis ſtellæ ſimilibus, ſed in thyrſo folia lõgiora atq; hirta, uel craſſiora, & eſt laxatiuæ uirtutis. Naſcitur ubiq; inter petras & loca aſpera. Hæc herba noctu tanquam ſtella in cœlo ſic lucet, ut qui uiderit ignorans dicat phantaſma ſe uidere, & metu plenus irridetur. Maxime autem à paſtoribus pecorum inuenitur. Adhibetur deniq; inguinum tumoribus.

1 Ad caducos.

Herbæ aſterij baccas ſi dederis manducare caduco luna decreſcente quum erit ſignum Virginis, & ipſam herbam laborans habeat in collo ſuſpenſam, remediabitur.

COMMENTARII.



STER, aſterion & aſteriſcos, omnibus his nominibus, in quibus una ſtellæ uis & ſignificatio eſt quam Græci ἀσήρα uocant, quaſi ſtellaris appellata eſt hæc herba, idq; à foliorum in floribus numero, poſitu & figura, quibus ſtellæ modo radiatur: nõ autem quod noctu ceu ſtella fulgeat & luceat, fabuloſum enim id eſt. Aſtera atticon.) Atticos dicta

est ab Atheniensium agro, quod illic ob soli tenuitatem frequentior aut melior forte nasceretur. Bubonion.) hoc est, ut Latini appellant, inguinale: sic dicta, quoniam inguinibus, quæ Græci bubonas dicunt, tam præsentaneum remedium est, ut adalligata solum ad inguinũ medicinam faciat, autore Dioscoride, Galeno, Paulo Aegineta & Plinio. Hyophthalmon.) id est suis oculum, eo quod totus eius flos animalis illius oculum repræsentare uideatur. Florem nigrum.) hoc est, ad nigritiam inclinãtem. Dioscorides florem habere dicit purpureum & luteum, quod tamen ad diuersas ipsius partes referendum est, Sunt enim in eo purpurei coloris folia, quod uero medium inter ea foliola capitulum est chamæmali modo luteo colore existit. Anthemidis.) id est chamæmali, quam camomillã uulgo dicunt. Capitellum.) Hæc floris pars est media lutea quæ intra folia eleuatur & eminet. Ambitum.) id est circumdatum. Phantasma.) id est, ut Cicero & Plinius uocant, spectrũ: quod modo imaginationis obiectum est plerunq; non subsistẽs, nempe rei sensilis forma quædam & effigies in interno sensorio ut in interno cerebri uentriculo: qui & animalis spiritus in illo existens, imaginatricis uirtutis organũ est, creata & condita, nunc uigilia, nunc somno imaginationi obuersans. Modo uero quod nostris oculis parumper & obscure sese ingerit, quemadmodum genij & lemures faciunt, & quicquid nocturnorum est terriculamẽtorum. Et tale quiddam uidetur herba hęc noctu ipsam ignoranter aspicientibus, ut Apuleius refert. Irridetur.) .i. deluditur & decipitur falliturq;. Caducos.) .i. epilepticos, comiciales. Dictus est autem morbus caducus, quoniã illo affecti, tempore paroxismi & afflictionis in terram subito concidunt. Baccas.) .i. capitulũ illud intra folia floris siue totũ florem cum foliolis & capitellis. Aliqui, ut Dioscorides refert, quod in flore purpurescit tantũ prodesse comicialibus infantibus tradunt.

C. I.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE LAGOPV, hoc est PEDIS LEPORIS.

CAPVT LXI.



GRAECI lagopun, Romani uocant eam herbam benedictam, leporinum pedem. Lagopus Græci à similitudine pedis leporini dicta. Nascitur in pratis.

1 Ad uentrem stringendum.

Herbam leporis pedem siccatam & in puluerem redactam dabis potionem in uino non febricitanti, febricitāti uero in aqua calida, & mox uentrē stringet.

COMMENTARII.



CVR SIC, hoc est, leporis pes, dicta sit hæc herba, docet Apuleius ipse post nominum appellationes. Habet enim leporino pedi similem paniculum, respondetq; Latina appellatio Græcæ. Nam λαγὼς lepus, πούς uero pes est. Benedicta uero nominata est, quod inter alias herbas benedicti et diuini sit effectus. Cuius radix nunc uulgo in usu est contra morbos pestiles & pectoris mala. Germani ipsam *Benedicten wurtz* nūcupant. Multi ab odoris suauitate & aromaticitate chariophyllatam appellant.

NOMINA ET VIRTVTES DICTAMNI.

CAPVT LXII.



A GRAECIS artemedion appellatur, alijs creticce, alijs ephemeron, alijs † eldia, alijs beloacos, alijs belotocos, alijs dorcadion, alijs eu- *al. idæa*

alias tusſilago. bolion, aliis dipſacos, Italis † uſtilago ruſtica, aliis labrum Veneris, Aegyptiis emenypſe. Naſcitur in inſula Creta monte Ida, foliis ſimilibus pulegio, ſed paulò maioribus, atque floccoſis uel lanugineis adnationibus, et neque florem generat neque fructũ. Item alia huic ſimilis, quę appellata eſt pſeudodictamnos: naſcit̃ plurimis in terris, ſimilis acrimoniæ dictamni. Memoratur etiam tertia ſpecies apud Cretã dictamni cum foliis ſimilibus ſiſymbrii, maiorib. ramis & flore nigro, molli, ſimilis uirtute pſeudodictamni. Harum denique multo efficacior eſt prima.

1 Ad mulierem ſi in utero mortuum fœtum habuerit.

Herbæ dictamni ſuccum ſi abſque febricula fuerit, cum uino dabis bibere: ſi autem febricitat, dabis cum aqua calida, mox eiiciet fœtum ſine periculo.

2 Ad plagas ſiue ferro ſiue à ſude uel à ſerpentibus factas.

Herbæ dictamni ſuccum in plagam infundat, & aliquid bibat, mox ſanabitur. Ad ſerpentium autem morſum ſuccum eius in uino bibat, & mox diſcũtit uenenum.

3 Si quis uenenum ſumpſerit.

Herbæ dictamni ſuccum cum uini hemina in potu ſumat, mirifice facit. Tanta autem uirtus eſt dictamni ut non ſolum interficiat ubicunque fuerint ſerpentes præſentia ſui, ſed & ſi odor eius à uento ſublatus fuerit, ubicunque eos tetigerit, mox occidet. Fertur & hoc exemplum, Si caprea uel ceruus in uenatione telo percuſſus fuerit, quum peruenit ad herbam dictamnum & ea paſcitur, mox telum excutitur è plaga,

&ſa-

& sanatur pascendo dictamnum.

4 Ad uulnera recentia.

Herbas dictamnum & argemoniã & ambrosiam contritas cum butyro plagæ imponito, miraberis in omnibus dictamni effectum.

5 Ad ulcera & nomas.

Herba dictamnus imposita, ulcera & putres nomas, & purgare & explere dicitur.

COMMENTARII.



ICTAMNVS qualis herba sit, satis ab Apuleio descripta est, sine flore, sine semine: licet Theophrastus & Vergilius semen & florem tribuere uideãtur, hic quidem Aeneidos lib. 12. cum ait,

Tum Venus indigno nati concussa dolore
Dictamnum genitrix Cretęa carpit ab Ida,
Puberibus caulem folijs & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
Gramina: cum tergo uolucres hæsere sagittæ.

Ille uero de plantarum historia lib. 9. cum ait, Folijs non ramulis aut semine utuntur incolæ. Sed his refragantur Dioscorides, Plinius, Apuleius & cæteri omnes, cõtrariumq; docẽt. Vnde quia sine flore & sine semine, Cretæq; propria est herba, certum est, radicem illam candidam quam multi uulgo pro dictamno uendunt, alterius à uera dictamno herbæ esse radicem, cum ubiq; nascens & florem & semen quoq; habeat, nec illã pro dictamno in medicinam esse admittendam. Artemedion.) Artemedion dictum est à Diana uenationis dea, quam Græci artemida uocant, eo quod uulneratæ ab ea in uenatione capræ & ceruæ eius herbæ pastu sanitatem consequerẽtur. Cretice.) Cretica herba dicta est quia in Creta insula nascitur, estq; propria illi insulæ herba, & non alibi nascens, autore Theophrasto & Plinio. Ephemeron.)

id est diarium, hoc est, unius diei. Eldia.) Exemplaria nostra non eldia, sed ælæa scriptum habẽt, unde suspicio nobis obrepsit, aliquibus immutatis literis legendum potius esse Idæa, quoniam in Ida monte Cretæ plurimum nascitur: licet apud Dioscoridem etiã eldia legatur, quo tamẽ id intellectu, nescimus, nobis huc inclinat animus.

Beloacos.) id est telorum remedium. βέλος enim telum est, ἄκος uero medela. Sic dicta herba, quoniam, ut Dioscorides & Theophrastus aiunt, uulneratis telo capris medetur, à pastu eius statim decidẽtibus telis. Et hæc eadẽ est causa cur dicta sit belotocos, & eo amplius etiam quod partus adiuuet. τόκος enim partus est. Dorcadion.) Sic appellata est quasi cerualis. Dorcades enim Gręcis inuli sunt & in ceruorũ genere minores, ut aliqui uolũt, à quibus & nomen habet hæc herba, eo quod, ut Plinius lib. 8. cap. 27. ait, hoc animal & cerui hanc extrahendis sagittis monstrauere percussi eo telo pastuq́ eius herbæ eiecto. Eubolion.) Sic dictum est quod extrahendis telis sit conueniens & bonum medicamentum. Dipsacos.) Appellatio hæc importune huc translata est ex eade qua superius habitũ est sub nomine chamæleonis. Similiter & ea quæ inter Latinas refertur, labrum Veneris. Nisi corona et herba Veneris legere malueris, ut sic dicta sit, pręsertim tertia species, ob similitudinem folij cum sisymbrio, quod hoc nomine appellatur. Vstilago rustica.) Vstilago dicta est, eo quod feruens & acris gustu minima portione accendit os, uti Plinius tradit. Verum exemplaria nostra non ustilago, sed tussilago scriptũ habent. Floccosis uel lanugineis adnationibus.) hoc est, ut Dioscorides ait, folijs comentosis lanósaq́ pube obductis. Et Vergilius, puberibus caulem folijs comantem di-
C. 4. cit. Pseudodictamnus.) id est falsa dictamnus. Ambrosiã.) Ambrosia qualis herba sit docet Dioscorides li-
5 bro 3. & Plinius lib. 27. cap. 4. item lib. 25. cap. 7. Nomas.) Nomæ corporis mala sunt serpentia & depascẽtia, autore Plinio

Plinio, qui lib. 20. cap. 9. de braſſica erratica aliorum autoritate refert illam compeſcere mala corporis quæ ſerpũt, nomas uocant.

NOMINA ET VIRTVTES SOLAGINIS MINORIS.

CAPVT LXIII.



ERBAM ſolaginem minorem, alij heliotropion appellitant. Naſcitur locis concauis & cætera, ut ſupra cap. 49.

1 Ad lumbricos necandos & excludendos.

Herba ſolago minor ſiccata & in puluerem redacta & in aqua calida potui data, lumbricos occidet.

COMMENTARII.



APVT de ſolagine maiore quod in exemplaribus quibuſdam hic repetitur, quia ſuperius capite 49. de heliotropio habitum eſt, omiſimus: alterum uero de ſolagine minore adpoſuimus: ubi etiam alteram curationẽ omiſimus, tum quia in exemplaribus noſtris non habetur, tum quia ex Dioſcoride quem autorem agnoſcit, uerbatim huc tranſcripta eſt.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE PAEONIAE.

CAPVT LXIIII.



AEONIA à Græcis appellatur pentorobon, alijs glycyſis, alijs aglaophotis, alijs pæoniõ, alijs ſelenion, alijs menion, alijs panacos ce-

ras, alijs selenogonõ, alijs dichomenion, alijs gludim, alijs menogenion, alijs theodonion, Itali pæoniam, alij rosam fatuinam uocãt. Pæonia nomen inuentoris retinet. Nascitur Cretæ & Siciliæ montibus, quã Homerus sacer autor libris suis inseruit. Hęc herba in extremis bacculas habet amygdalinis similes, in quibus sunt grana cocco similia ad acinorũ mali granati magnitudinem, quæ noctu lucent tanquã lucerna. Plurimum noctu à pastoribus inuenitur & colligitur.

1 Ad lunaticos.

Herba pæonia si lunatico iacenti ligetur in collo, statim se leuat sanus. Et si eam secum portauerit, nunquam ei hoc malum accidet.

2 Ad ischiaticos.

Herbæ pæonię radicis partẽ alligabis lino, eumq; qui patitur circũcinges, res est saluberrima. Et si eam in naui habueris, tempestatem compescit, si mundus ea utaris, est enim mirabilis.

COMMENTARII.



PAEONIA dicta est, autore Plinio et Apuleio nostro, à Pæone medicæ artis autore peritissimo, qui illam inuenit. Teutonice *beningen rosen* uocatur. Pentorobon.) Sic appellata est quasi quinqueruum, ab eruo, quod Græci orobon uocant, notissima fruge, eo quod cõmuniter quinq; grana fert erui magnitudine. Glycysis.) Sic dicta est à dulcedine, quã solo nomine indicat, siue quod in sapore parua quædam dulcedo illi inest, testãte Galeno. Aglaophotis.) Aglaophotis appellatur quasi lucide splendẽs. φῶς enim lux est, ἀγλαὸς splẽdidus. Idq; nominis sortita est à granis ipsius quæ in folliculis continentur, & quasi lucis splendor lucent. Selenion.) Selenion & menion uocatur, quasi lunaris,

lunaris, & dichomenion quasi semiplene lunaris herba. Selenogonon aũt & menogonon, id est lunæ semen. Selene enim & mene Græcis luna est, & gonos semen. Dichomenis uero semiplena luna appellatur. Quorum omnium ratio & causa est, quod intra plantæ folliculos mediæ lunæ formam repræsentantes, contineatur semen. Siue quia comicialibus & lunaticis, qui lunæ cursum patiuntur, medeatur. Panacosceras.) Sic dictionem hanc exemplaria nostra scriptam habent: ita dicta quasi omnifariam morbis medẽs cornu, à πᾶν, quod omne, & ἄκος medelam, & κέρας cornu significat. Cuius nominis causa est figura baccularum siue folliculorum in quibus continetur semen, qui folliculi incurui cornus speciem repræsentãt. Theodonion.) Theodonion appellatur, quasi diuinum donum & auxilium propter effectum & uirtutem suam admirandam & quasi diuinam, deorumq́ munere illi concessam. Rosam fatuinam.) Sic dicta est quia florem habet roseum, sed inodorum iniucũdumq́.

Inuentoris.) scilicet Pæonis, qui medicus fuit peritissimus. Sacer.) id est diuinus, imò ut Dionysius in artibus ipsum uocat, δαιμονιώτατος, id est diuinissimus.

In extremis.) id est in summitate & cacumine cauliũ.

Cocco.) Coccus est granum, nõ omne, sed quod rotundum est. Lunaticos.) Lunatici dicuntur comiciales, qui certis Lunæ temporibus affliguntur. Iacenti.) id est cum iam paroxismo correptus in terra iacet. Solent enim tales afflictionis tempore in terrã cadere & iacere, unde & caducus morbus etiam uocatur. C. I.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE PERISTEREI.

CAPVT LXV.


RAECI peristereon orthion, alij trigonion, alij bunion, alij hieran botanen, alij philtrodoten, Aegyptij thiophenges, Prophetæ heras dacryon, alij hæma gales, alij hæma hermu, Punici zimicum, alij azirgozol, Itali cristam gallinaceam, alij columbinam, alij ferrariam, alij exuperam matricalem, alij herculaniã uocarunt. Vtiq; peristereon herba siue supina siue recta, nascitur ubiq; in planis & aquosis locis, radice simplici atq; thyrso. Sũt autem eæ columbis esca admodum iucunda & familiaris, unde & hoc nomen habent, & columbinæ dicuntur.

1 Ad omnia uenena.

Herbæ peristerei tritum puluerem si quis potum in uino acceperit, omnia uenena discutit. Quidam dicunt, quod & magi ea in arte sua utuntur, primũ Homerus, deinde Mithridates, & cum centauria potui data, omnia mala medicamenta expellit, per aluum deducens.

COMMENTARII.


ERISTEREONIS Latina interpretatio est columbina, à columbis facto nomine tam apud Græcos quàm apud Latinos. Cuius duplex genus est, unum quod supinum cognominatur, de quo dictum est supra cap. 3. sub nomine uerbenacæ: alterum eo quod recto caule riget, appellatum est rectum, de quo præsenti agitur capite, & à Græcis inter alia eius nomina peristereon orthion, id est colũbina recta, & trigonion, quasi turturina nũcupatur, quorum nominum & aliorum aliquot ratio reddita est supra in uerbenaca.

Bunion.) Vide num potius legendum sit bomion, à dictione βωμός, quæ aram significat, cuius nominis ratio fuisse potuit, quod herba hac Iouis mensa & ara ad sacrificium uerrebatur. Philtrodoten.) Philtrodotes appellata

appellata est, quoniã lustrationibus adhibebatur feliciter & philtris amoliendis erat accommoda. Hæma gales.) id est sanguinem mustelæ. Hæma hermu.) id est sanguinem Mercurij. Exuperam matricalem.) Exupera dicitur, quod oẽs alias dignitate antecellat. Nulla enim quæ Romanæ nobilitatis plus habeat quàm ista. Matricalis autem quod muliebriũ locorum & matricis indolentiam faciat apposita: siue ad discrimen heracleæ sideritidis ue, quæ exupera etiam dicitur, sed cum adiuncto patricalis, ut Apuleius tradit infra cap. 72. cui hęc etiam nonnihil folio assimilatur: quæ ratio & causa etiam fuit, ut herculanea sit dicta. Magi.) Magos uocat sapiẽtes & philosophos, quos in nomenclaturis prophetas appellat, de quibus dictum est in Antonio Musa. Mithridates.) Mithridates rex Ponti fuit, à quo et nobilis illa antidotus mithridatica & herba mithridanion nomen habet. Plura de mithridate Plin. nat. hist. lib. 25. cap. 2. Mala medicamenta.) id est medicinas uenenosas & philtra, & quicquid mali est in corpore. C. I.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE BRIONIAE.

CAPVT LXVI.



GRAECI brioniã chelidonion, & melothron, & archezostin siue apiastellum, Itali uuam taminiam, uitem albam, agrifolium, dentariam, Aegyptij thodona, dardiadana, Syri hugadessi, dinuprila, Daci dochlea appellauere. Herba bryonia uirgultis atq; folijs & corimbis ut uinifera uitis, sed omnibus hirtis, quæ se colligat uicinis fruticibus, fructu siue semine botruoso, lõgo, raro, fuluo, quo etiam tergora depilantur, thyrsos emittens prima informa-

tione è radice qui sunt asparagis similes.

1 Ad splenem.

Herba brionia in cibo data lienosis, per urinam lienem digerit & emendat. Hæc herba tam laudabilis est, ut in theriacas etiam potiones mittatur. Item si in capite uel in cinctu eam tecum portaueris, nulla mala te contingent.

COMMENTARII.



RIONIA hæc est quæ alio nomine ampeloleuce, id est uitis alba uocat, Teutonice *Schmerwurtz*. Cuius sarmēta, ut Plin. lib. 23. scribit, longis & exilibus internodijs geniculata scandunt, folia pampinosa ad magnitudinē hederæ diuidūtur ut uitiū. Radix alba, grandis, rhaphano similis initio, ex ea caules asparagi similitudine exeūt. Semen in uua raris acinis dependet succo rubēte, postea croci. Est aūt Græca appellatio brionia, sic dicta à uerbo βριάω, q̊d est extollo & exalto, eo q̊d in propinq̊s frutices scandens se exaltet. Chelidonion.) Sic dictum uidetur à similitudine quadā foliorum, quæ similiter quadamtenus incisuris diuidūtur.

Melothron.) Melothron appellatum uidetur à coriorum concinnatione. Nam Græci μήλοθρα uocant βάμματα & καλλωπίσματα, id est colorum infectiones & cōcinnationes: quod corijs forte ex brioniç albæ fructu accedebat. Archezostin.) Archezostis dicitur quasi princeps cingulum. ζώστηρ enim Græce, Latine cingulum est, ἀρχὸς princeps. Sic appellatū quod inter alia principaliter propinquos frutices cingat, & implicando comprehendat.

Apiastellum.) Apiastellum inter Græcas appellationes ab Apuleio enumeratum, nominis sui (modo non sit corrupta dictio, quod ambigimus, nam Latinam potius quàm Græcam formam habere uidetur) rationem & causam habere uidetur ab herba, quæ Græcis apios & montana aut agrestis rhaphanus dicitur, de qua Dioscorides agit

agit lib. 4. cap. 166. idq́ quoniam radix rhaphano similis est initio, alba & grandis, ut ait Plinius. Sed nos longe aliud censemus, utpote, dictionem esse corruptã ex ea quæ est ophiostaphyle, quod Latine interpretatur uua anguina, cuius nominis ratio & causa est, quod in sepibus, ubi & angues plerunq; latent, uitigineo folio & acinoso fructu nascitur. Vuam taminiã.) Vuæ taminiæ appellatio brioniæ accessit ex pediculari pituitariaq́ uocata herba, quam Græci staphida agrian uocant, & proprie à Romanis uua taminia appellatur, licet Plinius cõtra Celsum uuam taminiã aliam dicat esse à staphide agria. Cæterum suspicamur nos hoc loco non uuam taminiã, sed anguinam potius esse legendum, ut respondeat Græcæ appellationi, quæ est ophiostaphyle, & uua anguina Latine interpretatur, de qua dictum iam est in dictione priore apiastellum. Vitem albã.) à radicis colore candido, & quia uiticulas, folia, clauiculasq́ uiniferæ uiti similia habet, & fructum fert racemosum, dicta est uitis alba. Dentariã.) Dentaria dicta uidetur, quod quemadmodũ reliqua ossa fracta, sic etiam dentes imposita extrahat. Asparagis.) id est coliculis, qui prima informatione & germinatione prodeunt. Siquidem antiquiores Græci omnem earum plantarum quæ nullis discretis folijs sed solido & tereti adhuc germine è terra prodeunt, primã germinationem asparagum uocabant: cuius rei uel Paulus Aegineta medicinæ lib. 1. cap. de asparagis inscripto testis est, ubi brioniæ asparagos etiam uocat. Quos coliculos, quia præcipuos habet spinosa planta, quæ nunc asparagus dicitur, ideo nomen id priuatim sibi adsciuit & obtinuit. Dige- C. I.
rit.) id est deducit. Lienem enim minuit, & cum urina educit. Est enim diuretica & urinam ciens herba. Aliâs digerere nostri temporis medicis est cibum in uentriculo & stomacho concoquere.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE NYMPHEAE.

CAPVT LXVII.



GRAECI nympheam, proteam, caccabon, loto metram, rhopalon, androgynon, hydragogon, heracleon, Andreas nerion, Latini matrem herculaniam, algam paluſtrem, papauer paluſtre, clauum Veneris, digitum Veneris, aquæ ductam dixere. Naſcitur in aquis † ſtagnãtibus, itaq; inde nomen ſumpſit, thyrſo nigro, leni, folijs ſimilibus herbæ ciboriæ, aquam ex parte ſuperãtibus, flore pallido, fructu ſiue ſemine lato, denſo, atq; guſtu argilloſo, radice ſtipidoſa, nigra, acerrima. Eſt præterea alia naſcẽs in Peneo Theſſaliæ flumine, cuius flos niger eſt: radix alba & aſpera.

† *alias ſtantibus.*

I Ad dyſentericos.

Herbæ nympheæ ſemen cum uino tritum in potu detur dyſenterico, ſanabitur mirifice. Item radices eius rades & dabis manducare dyſenterico diebus decem, curabitur. Item ſi ſuccus cũ uino auſtero datus fuerit, uentris fluxum reſtringet.

COMMENTARII.



NYMPHAEA herba eſt, quam nunc communiter Arabico uocabulo nenufar uocant, Teutonice *Wyer roſen* ſiue *ſeeblůmen*. Dicta eſt autẽ nymphæa, ut Apuleius & Dioſcorides tradunt, eo quod aquoſa amet loca, & in aquis naſcitur. Nympha enim aqua eſt, Seu, ut aliqui uolunt, à Nympha quæ claua ab Hercule interfecta, uel ipſa zelotypia erga eum mortua in plantam hanc mutata ſit, ut refert Plinius, cuius in naturalis hiſtoriæ lib. 25. cap. 7. hęc ſunt uerba, Nymphea

nata traditur à Nympha zelotypia erga Herculem mortua. Quare heracleon uocant aliqui, alij rhopalon, à radice clauæ ſimili, ideoq́ eos qui bibãt eam 12. diebus coitu genituraq́ priuari. Proteam.) Protea uocata eſt à Proteo Oceani filio & maris deo, cuius nominis ratio & cauſa etiam eſt natalis locus, quia in aquis, quibus Proteus præeſſe dicitur, naſcitur. Caccabon.) Habet id nominis à ſecunda ſpecie ſolani, quæ proprie ſic appellatur: idq́ eo quod florem poſtquã defloruit aut antequã aperitur, ſimilem habet forma & rotũditate folliculo ſolani. Lotometrã.) Lotometra uocatur à ſimilitudine herbæ lotus ægyptia dictæ & fabę ægyptiæ, quam ciboriam herbam uocat Apuleius: de quarum priore agit Dioſcorides lib. 4. cap. 105. de poſteriore lib. 2. capite 96. de utriſq; Plinius lib. 13. cap. 17. & 18. Aliâs lotometra proprie dicitur quæ fit ex loto ſata, ut idem Plinius lib. 22. cap. 21. teſtatur. Androgynon.) Androgynos appellatur quaſi ſemiuir, & ex uiro non uirum ſed effœminatum reddens. Solet ſiquidem hæc herba effœminatos & ad Venerem impotentes reddere utentes ea uiros. Nam, ut Dioſcorides teſtatur, paucis diebus genitalis languorem & infirmitatem facit, ſi continuo eius potu quis utatur. Et ut Plinius tradit lib. 25. cap. 7. Qui bibunt eam duodecim diebus coitu genituraq́ priuantur. Et, ut idem lib. 26. cap. 10. ait, Venerem in totũ adimit nymphæa heraclia, & eadem ſemel pota, in 40. dies: inſomnia quoq; Veneris à ieiuno pota & in cibo ſumpta. Illita quoq; radix genitalibus inhibet nõ ſolum Venerem, ſed affluentiam genituræ, ob id corpus alere uocemq́ dicitur. Hæc ille. Hydragogon.) Hydragogos nominatur quaſi aquatrix uel aquatica herba, quoniam in aquis naſcitur. Andreas.) Andreas medicus fuit inſignis, qui de herbarũ natura etiam ſcripſit, autore Dioſcoride. Meminit eius etiã non ſemel Plinius, Celſus, hic Apuleius, & alij. Nerion.) Nerios appellata eſt quod in aquis naſcatur, à Nereo maris deo ſeu fi-

liabus eius & maris nymphis nereidibus. Matrem herculaniam.) Mater herculania dicta est à Latinis, sicut à Græcis heraclion ab Hercule, erga quem Zelotypia mortua nympha in hanc herbam mutata est. Algam palustrem.) Alga palustris appellatur, quod in paludibus nascitur, sicut alga marina in mari, cui forte folio nonnihil similis est, ei scilicet quæ lato folio lactucę similatur. Papauer palustre.) Dicta sic est, quod flos eius postquam defloruit rotundus & rotunditate papaueris capiti similis colore nigro fiat. Clauum Veneris.) Clauus Veneris appellatur, eo quod radix eius clauę alicuius modo nodosa sit, atq; ad Veneris appetitum & impetum compescendum potens sit & efficax. Digitum Veneris.) Digitus Veneris etiã dicta est, quod in potestate sua sit compescere Venerem & libidinem. Digitus enim ceu manus cuius pars est, pro ui & potestate accipitur. Hactenus de nomenclaturis. Herbæ ciboriæ.) Herba ciboria est, quam fabam Aegyptiam uocant, de qua Dioscorides libro 2. cap. 96. cui grãde folium est galeri modo. Ex parte.) Quia quadamtenus super aquam emergũt, licet aliqua ex eis sub aqua sint, ut ait Dioscorides. Flore pallido.) id est candido & albo pallescente & lilio simili, & in medio quod croceum sit habente, ut Dioscorides tradit & Plinius. Semine denso & argilloso.) id est solido & glutinoso ceu argilla, quæ creta est qua figuli utuntur.

Radice stipidosa.) id est grandi & magna ceu stipes. Acerrima.) scilicet quo ad habitum, hoc est, aspera & clauæ alicuius modo nodosa. Peneo Thessaliæ flumine.) Peneus fluuius est clarus Thessaliæ, quam Macedoniæ tribuit Mela inquiẽs, In Macedonia prima est Thessalia. At Strabo lib. 8. extra Macedoniam esse tradit cum ait, Post Macedoniam uero Thessala natio est, cui & Plinius lib. 4. & Herodotus lib. 7. astipulantur. Sed utcunq; res se habeat, Thessalia Græciæ prouincia est, à rege Thessalo ibi regnante sic appellata. In qua urbs est insignis Thessa-

lonica,

lonica, à qua Thessalonicenses dicũtur, ad quos fidei nostræ lumen præclarũ deiloquentissimus Paulus duas scripsit epistolas. Flos niger.) id est ad nigredinem quandam & obscuritatem inclinans, hoc est, ut Plinius & Dioscorides aiunt, luteus, splendens & rosæ similis magnitudine.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE CIRSII.

CAPVT LXVIII.



RAECI cirsion, alij acanthion, Latini spinam mollem appellant. Herba cirsion thyrso est bicubitali, trigono inferius, summitate rotundo, cum thyrsiculis purpureis atq; canescẽtibus, folijs hirtis, radice, ut Andreas memorat, uaricum dolores medente.

1 Ad faucium dolorem.

Herbã cirsion cum sua radice si quis in collo portauerit suspensam, fauces ei nunquam dolebunt.

2 Ad interaneorum dolorem.

Herbę cirsij tusæ succus expressus et potui datus, interaneorũ dolorem mirifice sanat. Lege eam mense Maio.

COMMENTARII.



IRSION hoc est quam nunc uulgo buglossam dicunt, alia à uera buglossa, quæ borago uocatur, & de qua actum est supra cap. 41. Estq; duplex buglossa, una domestica hæc, altera syluestris, quæ cardiaca uocatur, Teutonice *hertzgespan*. Cæterum cirsij historiam quia satis obscure traditur ab Apuleio, clarius ex Dioscoride illam subiungamus, qui lib. 4. cap. 110. sic eam tradit. Caulis tener est, bicubitalis ferè tri

quetrusq́;, habet ab inferiore parte foliola rosaceorum figura, aculeatis per interualla augnlis, sed mollibus aculeis. Folia buglosso similia habet leniter hirsuta, longiora tamen, albicantiaq́; & in extremitatibus aculeata. Quod uero in caule summum est circinatum hirsutumq́; capitula habet in summo purpurea, quæ postremo in pappos euanescunt. Et Plinius lib. 27. cap. 8. Cirsion, inquit, cauliculus est tener duûm cubitorum, triangulo similis, folijs spinosis circumdatus. Spinæ molles sunt. Folia bouis linguæ similia, minora, subcãdida, & in cacumine capitula, purpureas quæ soluũtur in lanugines. Cui similis est quę hircina lingua uulgo dicit, sed caule tamen rotundo non angulosos ut cirsion. Dicta est autem cirsion à uaricibus, quos Græci cirsos uocant, quoniam doloribus illorum medetur adalligata. Sunt autem uarices uenarum dilatationes, quæ ex atræ bilis materia fiunt, aliquando in temporibus, aliquando sub umbilico & imo uentre, nõnunquàm circa testes, sæpissime autẽ in cruribus, fiuntq́; plurimum in hijs qui diutius stare aut iter facere consueuerunt. Acãthion.) id est spinulam, uel spinã molliusculam, à folijs molliter spinosis, quibus caulis circumdatus est. Sunt enim spinę molles, unde à Latinis etiam spinam mollem appellari dicit.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ISATIDIS.

CAPVT LXIX.


RAECI isatim, Prophetæ apision, Latini alutam appellauere.

1 Ad morsum serpentis.

Herbæ isatidis folium contritum in aqua & in plaga positum, adiuuat & dolorem tollit.

Isatis

COMMENTARII.


SATIS qualis herba sit, non docet Apuleius, quare historiam illius ex Dioscoride subiungemus, qui libro medicinalis syluæ secundo sic illam describit, Isatis herba est qua tingendis lanis infectores utuntur. Plantaginis folia habet pinguiora tantum & nigriora. Caulem duobus cubitis altiorem. Plinius lib. 20. cap. 7. eam inter syluestres lactucas enumerat. Hanc nunc guadum appellant, Victruuius lutheam herbam, Barbari glastũ, Arabes nil & nileg. Alutam.) Aluta dici potuit isatis, modo integra dictio hæc sit, quod coria etiam illa inficerentur & tingerentur. Nam aluta corium dicitur postquam ad usum & opus calceorũ & aliarum rerum concinnatum est. Sed dubitatur de uocis huius integritate, & num pro aluta legendũ sit luthea, quam Romani aliquot scriptores inter colores retulerunt, Victruuiusq́; præsertim ad extremum septimum librum dicens, Qui non possint propter caritatem chrysocolla uti, herba quam lutheam appellãt ceruleum inficere. Erat enim in tingendo præcipuus eius usus.

NOMINA ET VIRTVTES

HERBAE SCORDII.

CAPVT LXX.


RAECI scordion, pleuritin, scordilon, dysosmon, calaminthen agriã, mithridation, Prophetæ hæma podontos, hæma ictinos, Latini trixaginẽ palustrem. Scordion habet thyrsos quadrangulos; folia sapore redarguentia, quæ Græci stiptica uocauerũt, amara, & odorem aliquem allij redolentia; flore rubro, & est uirtutis mictualis.

1 Ad neruorum dolorem.

Herba ſcordion trita & cum oleo laurino ſubacta dolorem tollit inuncta.

2 Ad ſerpentium morſus.

Herba ſcordion coquatur & detur ius eius cũ uino potui: ipſa autem contuſa in plagam imponatur, dolorem tollit.

3 Ad cottidianas uel tertianas.

Herba ſcordion alligata circa corpus hominis, tollit cottidianas uel tertianas.

COMMENTARII.



CORDION dictũ eſt ab allio, quod Græci ſcorodon uocãt, cuius odore aliquo ſentitur, quæ ratio etiam fecit ut ſcordilon ſit uocatum, & ut Plinius nominat ſcordotis. Pleuritin.) Pleuritis appellata eſt quaſi lateralis ſiue coſtalis, quoniam in foliorum lateribus & extremitatibus perq; ambitum inciſuris diuiſa eſt ad ſerræ formã. Dyſoſmon.) id eſt mali & ingrati odoris, ut qui allium referat. Calaminthen agrian.) id eſt nepetam agreſtem, Plinius mentaſtrũ nominat, eſtq; diuerſi generis nota magis quàm appellatio alia, iuxta illud Plinij lib. 25. cap. 6. Eſt & alterius generis latioribus folijs mentaſtro ſimilis. Mithridation.) Mithridatios, ſiue ut apud Plinium & Dioſcoridem legitur, mithridanion appellata eſt ab inuentore Mithridate Ponti rege, uti Crateias herbarius tradidit referente Plinio.

Hæma podontos.) id eſt ſanguinem podotis. Hæma ictinos.) id eſt ſanguinem milui, fortè propter colorem rubeſcẽtem floris, uel quod ſanguinem ſiſtat. Trixaginem paluſtrem.) Sic dicta eſt quod trixagini ſimilis ſit, & humentibus locis naſcitur, tradente Plinio & Dio-
C. 3. ſcoride. Cottidianas.) ſcilicet febres: ſic dictæ quod ſingulis diebus accedentes deſinũt ad integritatẽ: fiuntq; ex pituita putri. Tertiana uero qualis ſit, dictum eſt ſupra capite

capite primo. Corpus.) maxime circa cor, in quo sedem habent ipsæ febres.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE VERBASCI.

CAPVT LXXI.



RAECI phlomon, pycnitin, lichnitin, Latini uerbascum uocãt. Sunt eius species primæ duæ. Harum est altera nigra, altera alba: cuius altera masculus, altera fœmina. Fœmina igitur est radicis contortæ, longitudinis cubitalis: thyrso tenero, leniter hirto: folijs coliculi similibus, sed hirtioribus atq; albidis: flore uiridi, & semine nigro. Masculus uero albidioribus folijs atq; angustioribus, & fructu siue semine tenuiori. Item nigra folijs est latioribus atq; nigris. Item agrestis flore nigro, folijs herbæ saluiæ similibus, uirgis celsis. Item phlomides appellatæ sunt duplices, hirtæ, terræ inhærentes, rotũdifoliæ. Item quæ appellatur lychnitis siue thryalis, quæ nocturnis luminibus aptãt, folijs pinguibus. Sed omnium radices sunt uirtutis redarguentis, hoc est stipticæ. Nascit̃ locis sabulosis & aggeribus. Hanc herbam dicimus Mercurium inuenisse & Vlixi dedisse, cũ deuenisset ad Circen, ut nulla maleficia eius timeret.

1 Aduersus occursus malos.

Herbæ uerbasci uirgulam qui secum portauerit, nullo metu terrebitur, neq; bestiæ, neq; occursus mali molestabunt hunc.

2 Ad podagram.

Herba uerbascum cõtusa atq; imposita, infra pau

cas horas dolorem efficaciter ſedabit, ita ut etiam am bulare queat. Hanc impoſitionem autores præcipui proficere affirmant.

COMMENTARII.


DE VARIIS uerbaſci generibus dicit Plinius, q̃d diſtingui hęc penè ſuperuacuum eſt, quum ſint omnia eiuſdem effectus. Inter quæ lychnitis appellata, nunc uulgo tapſus barbatus uocatur, & Teutonice *wullen krut*, quaſi lanaria, eo quod folia habeat ad tactum mollia ceu lana. Lychnitis autem, id eſt lucernaris dicta eſt, eo quod pro ellychnio in lucernis uterentur: quæ ratio etiam fuit ut à quibuſdam thryallis, id eſt ellychnium diceretur. Lychnos enim lucerna eſt, ellychnion uero dicit ſtuppa, palea, funiculus, aut aliud quid ſimile quod oleo, ſeuo, cæra aut alio huiuſmodi liquore obductum & tectum ad lucem reddendam lucernis adhibetur, & aliâs etiam cõburitur accenſum. Phlomon.) Phlomos dicta eſt à dictione φλὸξ, quæ ignem, flammam & lucem ſignificat, eo quod ad lucernarum lumina conficienda eſſet apta & idonea. Pycnitin.) Pycnitis appellata eſt ab effectu & uirtute denſante & adſtringente, à uerbo πυκνόω, id eſt denſo. Denſando enim & adſtringendo alui fluoribus medetur. Coliculis.) id eſt cauli & braſſicæ quæ caulis dicitur, & omnibus oleribus, ut Cato ait, antiſtat. Flore uiridi.) id eſt uiuido, & ut Dioſcorides tradit, candido palleſcentéue. Flore nigro.) hoc eſt, ut Dioſcorides dicit, luteo fulgore auri. Maleficia.) Maleficia uocat quæ malis artibus fiunt, ut ueneno aut incantamentis. Vnde malefici dicuntur, qui magicis & improbatis artibus utuntur. Circen.) Circe uenefica mulier fuit. Aduerſus occurſus malos.) hoc eſt, contra terriculamenta & occurſacula dæmonum terrorem incutientium, quæ Græci phantaſmata uocant, & Attica lingua, ut Magiſtrus ſcribit, φάσματα, appellantur. Quæ
C.1.

qualia

qualia & quid sint, docet idem his uerbis, φάσματα λέγεται τὰ ἐν ὕπνῳ φαινόμενα. καὶ ὅσα φαντάζουσι τὰ δαιμόνια, νύκτωρ ἢ μεθ᾽ ἡμέραν ἐν ταῖς ἐρημίαις, ἀπὸ τοῦ ἀέρος λαμβάνοντα μορφὰς οἵας ἂν ἐθέλωσιν. Quorum uerborum sensus est, Phasmata dicuntur quæ in somno apparent, & occursacula illa atq; dæmonia, quæ noctu uel interdiu in desertis locis, ab aëre qualibuscunq; uoluerint formis susceptis conspectui nostro apparent.

NOMINA ET VIRTVTES

HERACLEAE siue SIDERITIDIS.

CAPVT LXXII.



GRAECI heraclean, ĳdem sideritin, ĳdem buphthalmon, ĳdem scorpiuron, ĳdē curitin, ĳdem aristerion, Latini ferrariā, aliĳ cristam gallinaceam, aliĳ herculaniam, aliĳ exuperam patricalem uocant. Habet species tres, quarum altera thyrsis quadrangulis, redarguentis uirtutis, nodis per interualla uariegatis, semine nigro, foliĳs asperis, & uocatur speciali nomine heraclea. Alia ramulis tenuibus, bicubitis, foliĳs ex utroq; alternatis, atq; in summitate sui scissis, cum capitellis in summitate ramorum semine plenis. Tertia mollib. thyrsis, subalbidis, leuibus: flore phœniceo, paruo atq; argilloso: foliĳs coriandri similibus. Sed omnium supradictarum herbarum folia sunt uirtutis glutinatiuæ recentium uulnerum.

1 Si quis in uia tute uult deambulare.

Herbam heracleam si tecum in uia portaueris, latrones non timebis.

COMMENTARII.



LVRA sideritidis esse genera, non modo Apuleius, sed & Dioscorides & Plinius quoq; testantur, inter quæ tamen primum proprie heraclea, id est herculania appellatur ab inuento re Hercule, qui eam reperisse traditur. Sideritis uero, id est ferraria, dicta est à ferro, quod Græci σίδηρον uocant, eò quod glutinandis uulneribus ferro factis sit idonea. Buphthalmon.) id est bouis oculum: sicq; ab Osthane nuncupari tradit Dioscorides, sicut scorpiuron, id est scorpionis caudam à magis. Curitin.) Curitis appellatur quasi hastaria, ab hasta quæ Sabinorũ lingua curis nominatur. Sic dicta quod uulneribus hastæ ferro factis medetur, siue quod uerbenacæ, quæ hoc nomine etiã insignitur, sit quadamtenus similis folio: quæ causa etiam forte fuit ut sicut illa, aristereon uocaretur, uel à solidãdo & conglutinando uulnera. ἄρι enim in compositione intendens particula est, στερεόω uero firmo & solido: unde & dictio facta est aristereon. Cristam gallinaceã.) Crista gallinacea dicta est sicuti peristereon, propter incisuras foliorũ instar apicis illius auis. Exupera patricalis.) Patricalis dicta est quasi mascula: additum est autem id nominis ad differentiam peristereonis & uerbenacæ rectæ, quam exuperam matricalem quasi fœminã uocari dixit. Nodis.) id est sphondilis & uerticillis in orbem circũactis. Variegatis.) id est alternatis. Argilloso.) id est glutinoso, ceu argilla & creta.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CHELIDONIAE.

CAPVT LXXIII.



RAECE chelidonion appellatur, Latine hirundinina. Eius species duæ. Alia maior, alia minor, quę etiã appellatur pyron agrion.

Sed

Sed maior est tenuissimo thyrso tanquam fœnigręci, cum folijs impactis suis uirgultis mollibus atq; subalbidis, circa quæ flores nigri, succum facit croceũ atq; acriorem & mordacem sensim & amarum, fructum tanquã ceratia, porrectiora atq; tenuia, in quibus semina papauere maiora: item radicem ex una in plurimas euntẽ atq; in inferiores partes. Siquidem nomen chelidoniæ sumpsit ex hoc quod eo tempore semper florescit quo hirundines præsto sunt, quas Græci chelidonas uocant; uel ut quidam memorant, quod nidis suis eandem hirundines ferant ob acuẽdos succedentium uisus.

1 Ad caliginem oculorum & scabredinem, & qui uulnera habent in oculis, & albuginẽ oculorũ.

Herbæ chelidoniæ radicem pistabis cum uino uetere & melle Attico & pipere albo, & cũ inuicem bene cõtritum fuerit, inunges deintus, caliginem discutit: ipsi experti sumus. Quidam de succo eius oculos sibi inungunt. Item caligantibus oculis succos eius uel flores expressos & mixtos cũ melle Attico in uase æreo leniter cineri feruẽti commixtos decoctosq; singulare remedium ad caliginem oculorum facere certum est. Quidam succo tantum utuntur.

2 Ad parotidas.

Chelidonia cum axungia trita imponatur, sed ante aqua foueto.

3 Ad auriginem.

Herbam chelidoniam tritam cum aqua bibat, miraberis effectum.

4 Ad ambustum.

Herbam chelidoniam cum ſepo caprino conteres & impones.

5 Ad capitis dolorem.

Herbam chelidoniam ex aceto contritam illinito fronti & capiti.

6 Ad dentium dolorem.

Herbæ chelidoniæ radicem & cupreſſi folia trita & tedam maſculam aceto decoques, & tepefactum gargarizet.

COMMENTARII.



HELIDONIA dicta eſt quaſi hirundinaria ſiue hirundinina herba, ab hirũdinibus, quas Græci χελίδονας dicũt, idq́ nominis habet, ut Apuleius tradit, eo quod tempore illo ſemper floret quo præſto ſunt hirũdines, ſeu, ut Dioſcorides refert, creditur nomen ſibi inueniſſe quod hirundinum aduẽtu ex terra prodit, diſcedentibus uero ijſdem marceſcit. Referunt aliqui aliam etiã cauſam, cuius Apuleius quoq; meminit, & Dioſcorides etiam recenſet inquiens, Tradiderunt præterea aliqui ſi quis ex hirundinis pullis in nido lucem amiſerit, matrem hanc herbam oculis admouentem cęcitati eius mederi. Item Plinius lib. 25. cap. 8. Animalia quoq; inuenere herbas, inquit, in primisq́ chelidoniam, hac enim hirũdines oculis pullorum in nido reſtituunt uiſum, ut quidam uolunt, etiam erutis oculis. Et libro 8. cap. 27. idem ait, Chelidoniam uiſui ſaluberrimam hirundines monſtrauere uexatis pullorũ oculis illa medentes. Quod tamen Celſus tanquam fabuloſum reijcit & damnat libro medicinæ 6. cap. 6. ad finem ubi de oculorum imbecillitate agens inquit, Nihil commodius eſt q̃ ſanguine uel columbæ uel palumbi uel hirundinis inungere. Neq; id ſine cauſa fit cum horum acies extrinſecus læſa interpoſito tempore in antiquum ſtatum redeat, celerrimeq́

lerrimeq; hirundinis. Vnde & locus fabulæ factus est per parentes id herba restitui quod per se sanescit. Pyron agrion.) πυρὸν ἄγριον, id est triticum agreste: sic appellatum quod habeat radices multas tritici modo coaceruatas, ut tradit Dioscorides. Flores nigri.) id est lutei obscuri. Ceratia.) id est siliquæ, quales sunt papaueris cornuti. Succedentium.) id est pullorum qui parentibus
succedunt. Parotidas.) Parotides sunt apostemata & C. 2.
abscessus iuxta aures nascētes. Auriginē.) id est suffu 3
sionem fellis, & morbum qui ictericia dicitur. Sic dicta à calore & pallore auri. Tedā masculam.) Teda sextum 6
genus est arborum resinam fundentium, diuiditurq; in marem & fœminam. Sed de teda Plinius lib. 16. cap. 11. de resinis agens sic tradit, Sextū genus ē teda proprie dicta, abundantior succo quàm reliqua, parcior liquidiorq; q̄ picea. Flammis ac lumini sacrorum etiam grata. Hāc mares duntaxat ferunt, & eam Græci stacten uocant odoris grauissimi. Laricis morbus est ut teda fiat, &c.

NOMINA ET VIRTVTES STRYCHNI siue SOLATAE.

CAPVT LXXIIII.



RAECI strychnon hemeron, agrian staphylen, thalian, manicon, perisson, anhydron, manten, dorycnion, moly uocāt, Latini bellonariam, uaticam, apollinariam, somniferam, strumum, cucullum. Strychni species sunt quatuor, quarum uocatur prima hortualis, quæ est odoris iucundi cum frutice crebro, fruticoso, & folijs nigris, maioribus ac latioribus ocimo, cū semine rotundo uiridi aut nigro. Alia caccabum appellata, quam Latini strumum appellauerūt siue soporiferam, & est

folijs latioribus à perscripta cum thyrsis post augmentum ultra terræ uicinitatē inanibus, & fructu siue semine in folliculis rotundis uesicæ similibus incluso, fuluo, rotundo, leni, simili uuarum acinis, quo etiam coronarum uenditores utuntur. Tertia est quæ uocatur hypnotice, siue ut alij strychnon melanon, uel thalia uel anhydron, agria staphyle, manicon, perisson, Latine bellonaria, somnifica. Frutex est, nascit in petrosis locis, ramos plurimos pandēs stipidosos & difficile fragiles, folijs plenos ut mala cydonia, floribus rubris & non minimis, semine in cannis, quas Græci lobas appellāt, croceo: radice cum rubra cortice. Quarta est quæ appellatur manice, sed Latine furialis, eo quod furorem excitat. Nascitur in collibus uel montuosis locis, thyrsos emittens decem uel duodecim ulnarum, siue, ut Græci, orgyorum, cum folijs erucæ similibus, sed paulò latioribus, superposito capite hirto uelut platani sphæræ, sed maiore ac latiore, & flore nigro, cum quo semen siue fructū botruosum, rotundum, nigrum, habentem acinos decem.

Fortè ye lenger ye lieber.

1 Ad ignem sacrum.

Herbæ strychni succus expressus cum aceto & super illinitus, ignem sacrum mirifice curat.

2 Ad tumorem corporis.

Herbam solatam tusam & cum oleo subactam impone, prodest.

3 Si mulier laborat inferius.

Herbæ solatæ succo se sublauet.

4 Ad aurium dolorem.

Herbæ solatæ succū cum oleo † cyminino misce, & tepefactum stilla in aures.

alias crinino

Ad

5 Ad dentium dolorem.

Herbæ solatæ baccas commanducet.

6 Ad sanguinē de naribus fluentem.

Herbę strychni succo lana intincta nares obtura, sanguinem mirifice stringit.

7 Ad alopecias.

Herbæ strychni succus expressus cum aceto et superillinitus, alopecias mirifice curat.

8 Ad capitis dolorem.

Herba strychnon cum oleo rosaceo calefacta & stillata, mirifice capitis dolorem tollit.

COMMENTARII.



VAE Græcis strychnos siue strychne, utroq; enim modo dicitur, autore Plinio, uocatur herba, hanc Celsus & ueteres solanum, Apuleius solatam, recentiores solatrum appellāt, & Teutonice *nachtschatten* nominatur. Eius plura genera, quorū duorum priorum potissimum medicinam præsenti capite, posteriorum uero prius cap. 22. sub titulo apollinaris herbæ tradidit Apuleius. Strychnon hemeron.) id est solanum domesticum siue satiuum, & ut Apuleius uocat hortuale, qualis prima species est quę olim in cibi usu & in cibo innocēs fuit teste Dioscoride. Agrian staphylen.) id est uuam agrestem, quam appellationem tertiæ speciei tribuit Apuleius, quum potius primæ tribuenda esset, quæ racemosum fructum habet: & de syluestri uite lib. 4. cap. 171. Dioscorides sic scribit, Syluestris uitis folia hortensi solano similia habet, latiora tamen longioraq;, fructum exiguis uuis similem cum maturescit rubentem, rotūda & in orbem circūacta acinis eius figura est. Posset etiam quarto generi quod similiter racemoso fructu est, conuenire appellatio ista. Thalian.) Thalia dicta est

quasi coronaria, quoniam in coronis texentes coronarij uterentur ea. θαλία enim Græcis sertum est & corona.

Manicon.) Manicon & manice uocatum est quasi furiosum siue furiale, eo quod, ut Apuleius tradit, furorem excitet & insaniam faciat, paruo etiam succo: quanquam & Græci autores in iocum uertêre, ut scribit Plinius. Drachmæ enim pondere lusum pudoris gigni dixerunt, species uanas imaginesq́ cõspicuas obseruari demonstrantes. Duplicatum hunc modum legitimam insaniam facere. Quicquid uero adijciatur ponderi, repræsentari mortem. Et hoc de radice testãtur Dioscorides & Theophrastus. Quorum hic ait, Datur bibenda drachmæ pondere si quis per iocum efficere uoluerit ut pulcherrimus sibi uideatur qui biberit. Si uero furere adhuc magis hominem uisaq́ aliqua animo eius obuersari, duarũ drachmarum. Et si ne furor desinat, trium: & ut aiũt, centaurium admiscere. Postremo si hominem perimere, quatuor. Ille uero clarius idẽ tradit dicens, Potest radix eius drachmæ pondere in uino pota nõ illepidas rerum species & imagines uanas animo & menti repræsentare. Duplicatum id pondus in triduum ecstasin facit, perimunt autẽ quatuor drachmæ. Aduersatur autem huic maleficio, remedioq́ est maiore copia pota mulsa aqua mox uomitionibus reddita. Et hæc de quarta specie tradita sunt, quæ proprie manice dicitur: licet & tertium genus hoc nomine etiam appelletur. Vagis enim cõmunibusq́ nominibus quatuor & congeneres hæ plantæ indicabantur. Perisson.) Perisson appellatum est à uerbo περισσεύω, quod est circũquatio. Conuenit autẽ duabus posterioribus speciebus, quæ furiosos faciunt utentes: qui furore correpti nullo loco quieti, sed hinc inde commoti quatiuntur, ut phanatici qui circa templa discurrunt. Anydron.) Anydros uocatum est quasi inaquosum, quod locis nascatur siccis, petrosis & montuosis. Manten.) μάντις, id est, ut inter Latinas appellationes uocat, uatica. Sic dicta quod uatici-

nantes

nantes faciat, præsertim tertia species, quæ, ut Dioscorides tradit, ecstasin facit, hoc est, ut Galenus diffinit, ad breue tempus insaniam, quæ uatum & poëtarum enthusiasmo similis est, & qualis phanaticorum est, qui circa templa discurrentes uaticinantur, & quale furoris genus huius radice pota fieri Plinius etiam testatur dicens, Halicacabi radicem bibūt qui sunt uaticinandi callentes, quod furere ad confirmandas superstitiones aspici se uolunt.

Dorycnyon.) De hac & apollinariæ dictione dictum est supra cap. 22. Moly.) Moly nuncupatum est quod semen in folliculis habeat ceu ruta syluestris, quæ ab aliquibus moly etiam uocatur. A quibus folliculis et uesicis uesicariam etiam dictam uolūt, licet Plinius uesicariæ nomen illi factum testetur, quoniam uesicæ & calculis prosit. Bellonariā.) Bellonaria dicta est quod in bello ad cuspides tingendas & inficiendas illa uterentur. Strumum.) Strumum uocata est autore Plinio lib. 27. cap. 8. quod strumis illita sanandis peculiaris est, alpinis maxime fluminibus. Cucullum.) Cucullū appellatur, eo quod secundæ speciei semen in folliculo tanquam in cucullo contineatur. Cucullus enim capitis tegumentū est, quale religiosi uestimentis suis appensum gestare solent, ad cuius similitudinem herba hæc propter folliculum sic etiam uocata est. Semine uiridi aut nigro.) uiridi scilicet ante maturitatem, nigro uero cum maturuit, ut tradit Dioscorides. Caccabum.) Sic nominata est à forma caccabi quam folliculus repræsentat. Hypnotice.) id est somnifica & soporifera. Strychnon melanon.) id est solanum nigrum, quam appellationem primo generi tribuit Dioscorides. Stipidosos.) id est densos & surculosos. Platani sphæræ.) Platani fructus sphęria siue sphæræ dicuntur, & à Plinio Latine pilulæ uocātur.

Ad ignem sacrum.) Ignis sacer, qui Græce ἐρυσίπελας C. I. erysipelas dicitur, est tumor cum dolore & inflammatione, ex tenui sanguine, interim & cum bilis parte, incenso

& feruente generatus, circa cutim maxime nũc cum exulceratione, nunc ſine ea conſiſtens, coloris pallidi aut flaui aut ex utroq; mixti. Sũtq; plura eius genera. Vnde Cel
C.3. ſus lib.5. ſeparatim de igne ſacro & eryſipelate agit. Inferius.) hoc eſt, in imo uentre & circa pudenda. Alo
7 pecias.) Alopecia à uulpibus, quas Græci ἀλοπέκας uocant, nomen habet, quaſi uulpina paſſio, quoniam uulpibus ſæpe accidit. Eſt autem, uti Galenus ait, natiui coloris in capillo mutatio, qua ad aurum inclinato colore capillus à radicibus fluit. Cui non diſſimilis eſt altera affectio, quæ ophiaſis dicitur: de quibus copioſe Celſus lib. ſexto, ubi utrunq; genus communi nomine areas uocat.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE SENECIONIS.

CAPVT LXXV.



GRAECIS erigeron, gerontea, hydrogeron uocatur, Latinis ſenecion. Thyrſum habet cubitalem, rubrum, cum tenuibus folijs leuiter in ſummitate ſciſſis, & floribus nigellis, primo tempore celeriter ſciſſis ac floreſcentibus ſummotenus uelut in canis, quos Græci pappus appellant, nos auos uocare poſſumus. Deniq; erigeron Græce nominatur, quod uerno tempore caneſcat eius flos, ac tenuetur tanquã capillatura. Habet radicem tenuem atq; inutilem. Naſcitur in tectis & circa parietes.

1 Ad uulnera quamuis uetuſtiſſima.

Herba ſenecion tuſa & ſubacta cum axungia uetere & impoſita, mirifice ſanat uulnera.

2 Item ad uulnera.

Herba ſenecion ſi mane eam adorans ex terra colligas

ligas & tundas cum axungia uetere: in plagam impo sita, plagam aperit & expurgat. Item si eam simili mo re post meridiem colligas & cum axungia uetere mi sceas, imposita plagæ, aperit & persanat.

3 Ad pedum tumorem & dolorem neruorum.

Herba senecion pistata cum axungia uetere, pe dum dolorem tollit, & neruorum potentissime sanat.

4 Ad stomachi dolorem.

Herbæ senecionis flosculi cocti bene & subacti, imponantur ut malagma stomacho, summe dolorem sanant.

5 Ad lumborũ & coxarũ dolorem.

Herba senecion per se trita & ieiuno in potu da ta, ualidissime prodesse fertur.

6 Ad podagram.

Herba senecion trita cum sale, & ut malagmatis genus apposita pedibus, æque proficere certum est.

7 Si quis ferro percussus fuerit.

Herba senecion tusa cum axungia uetere sine sa le, & facta quasi cerotũ & in plaga imposita, facilime uulnus ad sanitatem perducit.

COMMENTARII.



A SENECTVTE Latinis senecio, Græcis erige ron, gerõtea & hydrogeron uocata est hæc her ba. Senecio quidem, cui Græcorum gerontea respondet, simpliciter propter canescentes ca pillorũ modo post florem eius pappos & lanugines. Eri geron uero quasi uere senescens, à tẽpore scilicet quo flo ret, & euentu floris cito deflorescentis & canescentis: un de Plinius lib. 25. ait, Nomen hoc Græci dederũt, quia ue

re canescit. Hydrogeron autem quasi senecionem aquaticum, fortè quod humidis locis etiam nascatur. Et hinc factum esse putamus, ut aliqui herbam illam, quam uulgo crissones uocãt, & à Dioscoride alterum sysimbrij genus cõstituitur, & à Plinio lauer, ab alijs cardamine, & à non nullis sium nominatur, senecionẽ esse crediderint, & adhuc uulgo etiam sic uocent, sed falsò. Et maxime fortassis id etiã factum est, quia utramq; erucæ assimilat folio Dioscorides. Nam de senecione lib. 4. dicit ipsum esse exiguis folijs erucæ modo in extremitatibus incisuris diuisis, sed longe minoribus. Et lib. 2. de altero sysimbrij genere, q̃d sion & lauer etiam uocatur, ait, Circinatũ habet à primo ortu folium, cum creuit deinde in incisuras quales in erucæ folijs sunt, diuiditur. Præterea quia Plinius lib. 25. ait, Caput eius numerosa diuiditur lanugine, qualis est spinæ, inter diuisuras exeũte, quare eam Callimachus acanthida appellat, alij pappum. Hinc multi etiam carduum benedictum esse putauerunt, licet falso: hic enim non senecio est, sed ea quam Dioscorides eryngion uocat: quæ dictio etiam fortè huic errori ansam prębuit. Floribus nigellis.) hoc est, luteis, ut tradit Dioscorides. Primo tempore.) hoc est Vere, quod primum anni tempus est, &, ut Naso ait, anni nouitas: quemadmodum & iuuẽtus uitæ. Celeriter scissis.) id est cito dehiscẽtibus. Pappos.) πάπποι, id est pappi, proprie carduorum flores dicuntur. Et quia pappus etiã auus dicitur, hinc dicit, Nos auos uocare possumus, propter senum canescentes capil
C. 5. los & ad eos florum lanuginis similitudinem. Lumborum.) Lumbi quorum uitium & debilitas lumbago uocatur, dicti sunt, ut quidam uolunt, à lubidine, id est libidine, antiquis lubido & libido, sicut lubet & libet dicentibus. Sunt autẽ lumbi pars illa ab cinctura usq; ad nates, ubi & renes situantur: unde & renum dolor, qui nephritis dicitur, ad lumbos in quibus sentitur, etiam refertur.
7 Cerotum.) Cerotum à Græco κηρῶτον, uel ceratum

à cera,

à cera, quæ ferè omnibus ceratis adhibetur, dictū est emplastri genus, quod plerunq; fit ex pastillis, & constat ex rebus ficcioribus, & igni appositum mollescit, postea applicatū corpori durescit, ac pertinacius hæret. Hic tamen communius accipitur pro malagmatis genere, etiā si cera non addatur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE FILICIS.

CAPVT LXXVI.



RAECI pterin, Latini filicem nominant.

1 Ad uulnera.

Herbæ filicis radicem pistatam in uulnus pones, & argemoniæ drachmas duas cū uino potui dato, mirifice curat.

2 Ad ramicem puerorum.

Herbam filicem quam in radice esculi arboris inueneris, tunde eam cum axungia, et panno inducens impone, & fasciam sursum uersus ligabis, quinta die sanabitur.

3 Ad dolorē femorū uel suræ.

Herba filice fumigabis loca. Item infantem languidū si ex ea fumigabis, facilime cōualescet infans.

4 Ad splenem.

Herba filix cū radice sua decocta usq; ad tertias, & potui data, splenem consumit.

COMMENTARII.



E FILICE, quæ & qualis herba sit, & quot eius genera, quia Apuleius nihil tradit, ideo quę Plinius de ea scribit, subiungemus, qui lib. 27. capite 9. sic ait, Filicis duo genera nec florem ha-

bent, nec semen. Pterin Græci uocant, alij blachnon, cuius ex una radice quàm plures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes longitudine, non graues odore, hanc marem existimant. Alterum genus thelipterin Græci uocant, alij nympheam pterin. Est autē non singularis atq; fruticosa, breuior, mollioŕq; & densior folijs ad radicem caniculata. Vtriusq; radice sues pinguescũt. Folia utrisq; lateribus pinnata, unde nomen Græci imposuere. Radices utriq; longæ in obliquum, nigræ, præcipue cum inaruere. Siccari autem eas Sole oportet. Nascũtur ubiq;, sed maxime frigido solo. Effodi debent uergilijs occidentibus. Vsus radicis in trimatu tantum, neq; ante, neq; po-
C. 2. stea. Hactenus Plinius. Germani *farn* nominant. Esculi.) Esculus arbor est Ioui sacra & glãdifera: sic dicta q̃d
3 antiquitus fructus eius in esca sumeretur. Femorum.) Femora dicuntur pars à coxa usq; ad genu deducta. Sura uero pars illa carnosa cruris. Crus autem quod est à genu usq; ad imum pedem.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE GRAMINIS.

CAPVT LXXVII.


RAECI agrostin, alij hæmaticon, alij amaxitin, alij ægichon appellant, Latini gramen, alij assefolium, alij uniolam. Agrostis folijs parui calami similibus, atq; uirgultis per terram serpẽtibus geniculosis: radicibus geniculatis, dulcibus, atq; uulnerum uirtutis glutinatiuæ. Harum decoctio potui data, urinam mouet. Est & alia quę calam' agrostis appellatur maior supra dicta, hoc est agrosti: sed est melior in Parnasso nata, cuius flos urinam cõmouet, & eius radicis succus acuit uisum.

Ad sple-

1 Ad splenis dolorem.

Herbam gramen decoques & cum ea florem teres, & in panno linies & pones super splenẽ, mox sentiet beneficium.

2 Ad epiphoras oculorum.

Herba gramen, quæ in se trifurcium habet, nam & in plura diuiditur, decrescente Luna sublata plurimum ualet. Repositam habeto diligenter, exinde lippire incipiẽtibus ad collum ligato, celeriter imminentem epiphoram discutere & sanare dicimus.

COMMENTARII.



GRAMEN herbarum uulgatissima & omnibus notissima, Græce agrostis appellatͬ quod ubiq; in agris & ruri nascitur. Hæmaticon autem, id est sanguinalis, eo quod humano sanguine procreari falso crediderint antiquiores. Hamaxitis deinde à iumentis quæ plaustris seruientia illo passim uescuntur, Græcis ἅμαξα plaustrum uocantibus. Demum ægichon à capris quas Græci ἄιγας uocant, eo quod passim illo etiam uescãtur. Vniola.) Sic appellata est ab uniendis & glutinandis uulneribus quod radix imposita facit.

Calam' agrostis.) id est harundinaceum gramen.

Parnaso.) Parnassus mons est Phocidis, quem Musæ etiam habitare dicuntur, & inde parnasides uocantur.

Trifurcium.) hoc est, tria genicula internodia: aliud enim alio pluribus serpit, ceu septem, tribus & pluribus. C. 2.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE GLADIOLI.

CAPVT LXXVIII.


RAECI xiphion, alij phasganion, alij limnicen, alij machærophyllon, alij anactorion, alij arion, Latini gladiolum segetalem, & linguam ceruinã uocant. Est folijs gladio similibus, thyrso cubitali, floribus purpureis, radicibus duabus, paruulis, rotũdis, altera in altera nata, quarum superior maior est & acrioris uirtutis.

1 Ad uesicæ dolorem, & ad eos qui urinam non faciunt.

Herbam gladiolũ effodies, siccatum corticem radicis eius conterito, & cum uini cyathis duobus & aquæ calidæ cyathis quatuor immisces, & sic potui dabis, miram rem experieris.

2 Ad splenis dolorem.

Herbam gladiolum maturissimam lectam & siccatam & in puluerem mollissimum redactam, et in uino leuissimo mixtam potui datam, mirifice dicimus splenem desiccare.

3 Ad coli uel pręcordiorũ dolorem.

Herbæ gladioli baccas tritas ex caprino lacte, melius si asinino, tepefactas dato bibere, desinet dolor.

COMMENTARII.


VAE hic describitur gladiolus, ea est cuius medicas uires supra cap. 46. posuit, & quæ hic ponuntur curationes illi priori conueniunt, quæ xyris & syluestris iris dicitur, quare haud perperam unius curationes cum alterius transmutarit quis, & ad alteram transposuerit, nos ut reperimus, ita reliquimus. Vocata est autem gladiolus & Gręce gladiorum nominibus xiphion, phasganion & machærophyllon à foliorum figura, quæ cultelli modo in mucronem desinentia habet. Limnicen.) Limnicę dicta est à λίμνη, quod est

est stagnum, eo quod in humidis, ut Plinius tradit, nascitur, licet Dioscorides maxime in aruis nasci dicat. Sed nihil hoc refert, possunt eñ & arua humida esse, neq; Dioscorides penitus negat posse in aquosis etiã nasci. Anactorion.) id est regiam herbam. ἄναξ enim rex est, & dĳs proprie conuenit. Arion.) Arion appellata est quasi martia herba, eo quod ferro & telis, quorum in bello cui Mars præest deus, usus est, extrahendis accommoda est.

Gladiolum segetalem.) Gladiolus segetalis appellata est, quoniã in aruis & iuxta segetes nascitur. Linguam ceruinam.) Lingua ceruina nominata est à similitudine quadam foliorum, eo quod folia habeat similia folĳs lingua ceruina uocatæ herbæ. Præcordiorum.) id est uiscerum & extorum. Plinius lib. 30. cap. 3. Præcordĩa uocamus uno nomine exta in homine. Baccas.) Per baccas intelligit folliculos & semen in hĳs contentum. Nam ut Dioscorides tradit, in caule eius triquetra sunt ueluti siliquæ, & in illis purpureus flos: semen in folliculis fabarum modo rotundum, rubens &c. C. 3.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ROSMARINI.

CAPVT LXXIX.



LIBANOTIS alia est coronalis à Forano appellata: item ab alĳs icteritis, quã Latini rosmarinum appellant, tenues nutriens uirgas, in quibus folia longa, tenuia, uiridia. Alia est fructifera, quam etiam zeam † Foranus appellat, siue chamedyosmon, canchryn oxean, campsanema, macærinthen Prophetæ, Daci dracontos, Aegyptĳ semen, Zoroaster † theopnoën, Latini salutarem. Folia feniculi similia, sed aspera & rotatum terræ prostrata, Soranus. Theopnuen.

& boni odoris, thyrso cubitali, furcoso, cũ umbraculis in summitate, in quibus fructum siue semen plurimum, album, angulosum ac resinam resapiẽs, & cum fuerit masticatum, feruorem commouens: uocatur etiam canchrys semen supradictum: radicem uero tenuem formatam, thuris odorem simulantem. Alia infructuosa, quæ in cæteris supradictæ similis, sed neq; thyrsum emittit, neq; florem, neq; semen: uocatur etiam ab aliȷs psoranthemis, taurophthalmon, parthenion, uel, ut Aegyptiȷ, sacatos, item prophetæ aposplenos, hydroselinos, Latini malum lentum, Tusci susinum. Alia numero quarta, quæ similis est supradictis duabus, uocatur à quibusdam malobathron, ebæfalitis, Latini ros terræ, Aegyptiȷ nacosthon, Prophetæ diospneuma: semen nutriẽs circulatum, nigrum, odoratiuum, non incendiosum, radicem interius habens albam, exterius nigram. Sunt autem communiter omnes uirtutis feruentis acerrimę magis in radicibus. Nascitur locis maritimis & hortis. Antequã thus sciretur hac herba homines deos placabant.

1 Ad dentium dolorem.

Herbæ rosmarini radix commãducata, dentium dolorem tollit: uel si succũ eius in dente tenuerit, mox sanabitur.

2 Ad languentes.

Herba rosmarino trita cum oleo languidum perunges, mox sanabitur.

3 Ad pruriginem in corpore.

Herbam rosmarinum terito & succum eius cum uino uetere & aqua calida per triduum dabis bibere, sanabitur.

Ad

4 Ad hepatis uel interiorũ dolorem.

Herbę rosmarini fasciculum concoques ex aqua, adijcies illi amomum pusillum aut spicæ nardi & palmulas duas, rutæ coliculum, in se coque, & aquam earum dabis bibere, sanus fiet.

5 Ad tussim.

Herbam rosmarinũ cum piperis granis centum, mellis uncijs duabus teres, & facies pastillos & dabis unum mane & unum sero cum dormitum uadit, tussim sedat.

6 Ad interiorum dolorem.

Herbam rosmarinũ uiridem, aut aridæ puluerem dabis ut supra, mirifice facit.

7 Ad albuginem in oculis.

Herbæ rosmarini †succum commisces cum melle Attico, & inunges, liberaberis. *aliàs puluerem.*

8 Ad uulnera recentia.

Herba rosmarinum contusa cum axungia, imposita optime facit.

9 Ad tertianas.

Herbam rosmarinũ contusam in calida aqua sub accessione dabis.

COMMENTARII.



OSMARINVS quod maritimis locis nascitur appellata herba terris nostris incognita est, excepta ea quam quia coronarij quondã ramulis eius ad coronas nectẽdas utebant, coronalem nominant, frutex uerius q̃ herba, unde Græci etiam δενδρολίβανον, quasi arborescentem libanum uocãt, in libanotidum censum ascita, quia folia habet illis similia. Libanotis autem dicta est, eo quod thus olet, quod Græci liba

non dicũt, aut, ut Apuleius sentit, quia suffitu & uapore eius pro thure ad deos placandos in sacrificijs uterentur ueteres. Forano.) Foranus quis sit, ignoro, nihil em̃ de eo me legisse scio: quare prima mutata litera pro Forano potius Soranũ legendũ censuerim. Fuit autẽ Soranus Ephesius, medicus insignis, Traiani & Hadriani tẽporib. qui uiguit, Romæq́; medicã artem exercuit, ac libros plures optimosq́; composuit, è quibus Isagoge adhuc super est. In cuius tempora etiam Apuleius, licet aliquanto posterior, incidit. Icteritis.) Habet hoc nominis, eo quod ictericis & felle suffusis medetur: quam uim potenter præ alijs hæc coronaria habet. Zeam.) id est semen, quod frugis genus est tritico aut hordeo simile, quod nũc speltam uocant, sic fortè dicta ob similitudinem quandam ad inuicem seminum. Chamedyosmon.) Chamedyosmos appellata est ab odoris suauitate & odore iucundo ac quia per terram folia spargit. Canchryn oxean.) Canchrys oxea nominata est à fructu quẽ profert & canchrys uocat, & acutus oblongæq́; formæ existit. Campsanema.) Sic uocata est ob foliorum in rotæ modũ circumactionem & curuaturam, &, ut hic ait, folia rotatum terræ prostrata. κάμψις enim curuatura est, & rotæ modo in orbem circumactio. Macærinthen.) id est beatam, & ut Latine reddidit Apuleius salutarem, tum quia in medicina, tum quia in sacrificiorum usu effectus esset prospe ri & salutaris, morbos curans & deos propitios reddens.

Theopnoën.) id est diuini spiritus & afflatus herbã, eo quod in sacrificijs illius suffitionibus deorũ fauorem sibi conciliabant. Canchrys.) id est pilula, uti Plinius uocat. Quæ qualis sit formæ & figuræ, docet Theophrastus de plantarum historia lib. 3. ubi de arborum cachry ait, Harum unaquæq; ex paruis particulis squamarũ modo per ordinem constat eadem qua pineæ nuces forma, eousq; ut non dissimilis nouæ & uiridi pineæ nuci figura sit, oblongior tamen forma & æqualiter per totũ crassa.

Auge

Augetur hoc hyeme, Vere aperit, flauescuntq; tunc squa mæ illæ, & in trium digitorum longitudinem extendun tur, & cum Vere folium prodierit, decidunt, &c. Quæ ue ro arborum cachryn hanc ferant, docet Plinius lib. 16. ca pite 9. inquiens, Ferunt robora & cachryn: ita uocatur pi lula in medicina urendi uim habens. Gignitur & in abie te, larice, picea, tilia, nuce, platano, postquam folia cecide re hyeme durans. Continet nucleũ pineis similem. Is cre scit hyeme, aperitur Vere pilula tota. Cadit cum folia cœ perint crescere. Ad quorum arborum cachry similitudi nem cãchry hoc est quod in summo caule simile illi sur git, in quo semen concipitur & maturatur. Cæterum ut tota canchryos significatio habeatur, sciendum Græcos canchryn & cãchrydia etiam uocare molita primũ mox frixa hordea. Psoranthemis.) Sic appellata uidetur à similitudine tenuitatis foliorum quam cum anthemide, quæ & chamomila dicitur, gerit, licet, quod & nomen eti am indicare uidetur, asperiora sint libanotidis quàm alte rius. Quæ foliorũ tenuitas item causa fuit ut parthenion uocaretur, ab eadem anthemide mutuato sibi nomine.

Taurophthalmos.) .i. tauri oculus, quasi buphthal mos, id est bouis oculus quod idem est: sic dicta est autem à similitudine foliorum herbæ, quæ buphthalmos uoca tur: utraq; enim fœniculacea & fœniculo similia folia ha bet, igitur & inter se. Aposplenos.) Sic dicta est quod splenẽ desiccet & cõsumat, & quasi sine splene faciat esse; ut quẽ cum urina deriuando dissipet. Hydroselinos.) Vocata sic est à foliorum similitudine, quæ palustri apio similia habet, autore Theophrasto. Susinũ.) Sic uo catum uidetur ab odoris iucũditate quam præstat ceu su sinum uocatum unguentum quod ex liliis cõficiebatur.

Malobathron.) appellatum sic est etiã ab odoris sua uitate. Ebæophalitis.) Ebæophalitis appellata est à paruitate umbellæ, quam in summo instar coni galeæ ha bet, ἠβαιὸς enim Græcis paruus est, φάλος uero galeæ co

nus. Diospneuma.) id est Iouis spiritus & adflatus, eo quod in sacrificijs illius suffitionibus Iouis & diuini numinis spiritum, fauorem & auxilium sibi conciliabant &
C. 4. impetrabant, deosq́ propitios sibi reddebant. Fasciculum.) Fasciculus est quem alio nomine manipulum dicunt, Græci δράγμαν uocant, hoc est, uti Scribonius Largus ait, quantum manu comprehendi potest, de quo dictum est supra cap. 3. curatione 12. ubi etiã de nardo & spica eius est dictum. Amomum autẽ exiguus frutex est, de quo Dioscorides lib. 1. cap. 14. Palmulas.) Palmulæ, quas nũc dactylos uocamus, sunt palmę arboris fructus. Græci & arborem & fructum φοίνικα dicunt, à colore pomi facto utriq; nomine: & à palmulis his medicamẽ illud catharticum quod in communi usu est, nomen sumpsit διὰ φοινικῶν diaphœnicon. Coliculum.) id est ramusculum.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE PASTINACAE.

CAPVT LXXX.


GRAECIS dicitur agrios staphylinos, alijs ceras, alijs daucion, Itali pastinacam rusticam, erraticam, et syluaticam. Nascitur in locis saxosis & aggeribus. Alia est hortualis siue seminalis & uiribus imbecilla. Alia agrestis, quæ appellatur etiam à quibusdam ceras, eo quod cornu fingat, habet comam ut fœniculus, thyrsum tenuem, asperũ, in quo umbraculum, & flores paruos tenues, quorum in medio croceũ germen, purpurei coloris, radicem bipalmem, robore digitali, odore iucundam.

1 Ad mulieres quæ partu laborãt & non purgantur.

Herbam

Herbam pastinacam syluaticam decoquāt, & de aqua eius se fomentent, sanabuntur.

2 Ad purgationem mulieris.

Herbam pastinacam syluaticā decoques, & cum eadē aqua ubi cocta est, grana piperis trigintaquinq; commisces & dabis bibere, mox purgabitur. Facit autem ut supra scriptum est & ad dentium dolorem.

COMMENTARII.



ASTINACAE duo genera cæteri quoq; testantur. Columella rei rusticæ lib. 9. cap. 4. Tum agrestis pastinaca, & eiusdem nominis edomita, quam Græci σαφυλῖνον uocant. Idem etiam tradit Dioscorides. Quarum agrestem Galenus daucum etiam uocari testatur inquiens, Satiua quidem pastinaca ignauior: agrestis uero quam daucum uocāt, &c. Quam ob causam quod male udonaulion legi nobis uisum est, daucion emendauimus. Germani *morchen* dicunt.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE PERDICALIS.

CAPVT LXXXI.



ERBAM perdicalem Græci lysimachion, sideritin, alsinen, helxinen, parthenion dicūt, Latini muralem & parietariam, alij herculanam, alij urceolariam, alij uitriariam appellant. Sed nomen sumpsit à perdicibus, siquidem ipsæ ea alūtur. Vocatur etiam heraclia, & ixinos agrion, & alytis, & clybatis, & polyonymos. Nascitur in turribus uel parietibus, habet thyrsos tenues, fruticosos, rubros, in quibus semina aspera, & folia linozosti herbæ similia, rotundiora tamen atq; hirsuta & aspera;

qualitate remordentia atq; cohærentia: est enim, ut Græci aiunt, uirtutis stipticæ. Deniq; ad similes causas ac similiter ut arnoglossos herba adhibetur.

I Ad podagram.

Herba perdicalis coquatur in aqua, & ex eadem aqua fouebis pedes uel genua, deinde ipsam herbam tusam cum axungia impones pedibus panno inductam, uel super genua, sanabit mire. Nascitur parietibus aut macerijs aut aggeribus.

COMMENTARII.



QVALIS herba sit perdicalis, siue, ut alij uocant, perdicion, satis ab hoc descriptũ est, sic autem appellata est à notissima aue perdice, eo quod illa semine eius præcipue uescatur, & herbã eruens in illa uolutetur. Germani herbam hãc *Sant Peters krut*, alij *tag vnd nacht*; alij *glaßkrut* nominant. Lysimachion.) Lysimachion appellata est, eo quod lanas, ut Plinius lib. 22. cap. 17. testat, inficiat, ceu illa quæ proprie lysimachion dicitur. Sideritin.) Sideritis, heraclea & herculana dicta est, quia folia habet similia folijs herbæ quæ proprie hijs nominibus nuncupatur. Alsinen.) Alsine dicta est à similitudine quadam foliorum herbæ alsines, quæ alio nomine myosotis, id est auricula muris appellatur, de qua Dioscorides lib. 2. cap. 172. Et helxinæ herbæ similem dicit, humiliorem tantum & breuioribus folijs. Helxinen.) Helxine dicta est à uerbo Græco ἕλκω quod est traho, eo quod asperitate sua tenaci nexu uestes quibus adhæserit ad se trahat: habet enim & caules & lappas, in quibus semen continetur & folia aspera. Parthenion.) Sic dictam esse à dea Minerua, quæ parthenos, id est uirgo, dicebatur, testis est Plinius lib. 22. cap. 17. ubi ait, Vernula Carus Pericli Atheniensiũ principi cum is in arce templum ædificaret, repsissetq; super altitudinem fastigij, & inde cecidisset,

cidisset, hac herba dicitur sanatus, monstrata Pericli somno à Minerua. Quare parthenion uocari cœpta est, assignaturq; ei deæ. Hæc ille. Muralem.) Muralis & parietaria est appellata à natalibus, eo quod in muris & parietibus nascitur frequẽs. Vrceolariam.) Vrceolaria & uitriaria est nuncupata, quoniam urceolos & uitra cæteraq; uasa pulchre mũdat & purificat adfricata. Et Germani hanc ob causam à uitris ipsam *glaßkrut* uocant. Ixinos agrion.) id est uiscum agreste, à uisco quod ἰξὸν, id est ixon uocatur, eo quod quemadmodum uiscum ad se trahit quæ id contigerint, sic etiam herba hæc uestes quibus adhæserit, ad se trahit. Alytis.) Alytis dicta est quasi insolubilis, eo quod difficulter soluatur et auellatur à uestibus quæ contigerit. Clybatis.) Clybatin uocari Nicãder etiam testatur, Dioscorides clybodion uocat, uideturq; nobis ab insigni forma & specie sic dicta. Polyonymos.) id est multinomia, eo quod multis nominibus indicetur. Linozosti.) id est Mercuriali. Arnoglossos.) id est plantago.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE MERCVRIALIS.

CAPVT LXXXII.

MERCVRIALIS à Græcorum aliis linozostis arrhen, aliis hermubotane, aliis argyros, aliis argyritis, aliis arithryllis, aliquibus parthenion, quibusdã thelicon, aliis orchion, et chrysitis, arguminosq; appellata est, Aegyptii aphlopho, Prophetæ hermu basilion, Itali mercurialem & testiculatã. Frutex est bipalmis, foliis ocimi similibus, atq; ramis inanibus cum furcis plurimis atq; densis. Et est fœmina maior, quæ appellatur etiam theligonon, Latine mercurialis fœmina. Masculus uero uo-

catur mercurialis masculata, id est testiculata, & est minor atq; rotūda, & ueluti testiculis binis paruis circa exordium ornata.

1 Ad uentris duritiam.

Herbam mercurialem coques, & tritam ex passo dabis, statim detrahet & stomachum purgabit. Aut semen eius tritum ex passo dato, idem detrahet & purgabit.

2 Ad menstrua cienda.

Herba mercurialis cum oleo irino uel rosaceo admota, mox prouocat sanguinem menstruum.

3 Ad epiphoras oculorum.

Herbæ mercurialis folia cum uino albo uetere impone.

4 Si aqua in aures introierit.

Herbæ mercurialis succum tepefactum in aurem stillabis, mox liberabis eum.

COMMENTARII.


VALIS herba sit mercurialis, quia succincte satis et subobscure illam describit Apuleius, ideo ex Dioscoride historiā eius subscribemus, quæ talis est, Duplex eius genus est, sexu discernuntur. Habet ocimo similia folia ad helxines foliorum figuram accedētia, minora tamen. Ramusculos geminatis geniculis, & alarum cauis multis. Semen fert fœmina racemosum & multum. Mascula uero iuxta folia exiguum, rotundum, binum testiculorum specie pendēs. Et Plinius, Duo eius genera, inquit, masculus & fœmina quæ efficacior. Caule cubitali interdū ramoso in cacumine, ocimo angustioribus folijs, geniculis densis, alarum cauis multis: semine in geniculis dependente, fœminæ copioso, mari iuxta genicula statim rariore ac breui contortoq;, fœminæ

minæ soluto & cãdido. Folia maribus nigriora, fœminis candidiora. Radix superuacua, prætenuis. Nascuntur in campestribus cultis. Dicta est autem à Latinis mercurialis, & à Græcis hermubotane siue hermupoa, id est Mercurij herba, eo quod Mercurij inuentũ sit. Plinius lib. 25. cap. 5. Linozostis siue parthenion à Mercurio inuentus est, ideo apud Græcos hermu poan multi uocant, eam apud nos omnes mercurialem. Arrhen.) id est mascula sicut thelicon fœmina. Sunt autem solum generũ differentiæ. Orchion.) id est testiculata, eo quod masculus quę minor est, semen fert duûm testiculorum specie iuxta folia pendens. Hermu basilion.) id est Mercurij regia & signũ regale. Theligonon.) Theligonon dicta est, quasi fœminigena à fœminini sexus conceptu quem facit maior, & fœmina uocata mercurialis. Nam, ut Dioscorides tradit, Credũtur fœminæ mercurialis herbæ folia trita tum pota, aut post purgationes fœminarũ genitalibus apposita ut fœminæ concipiantur facere: masculæ uero contra mares. Et Plinius, Mirum est, ait, quod de utroq; eorum genere proditur, ut mares gignãtur hunc facere, ut fœminæ illam.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE RADIOLI.
CAPVT LXXXIII.



HERBA radiolum, quam alij filicinam uocãt, similis est filici quæ in lapideis nascitur, uel in parietibus, habens in folijs singulis binos ordines punctorum aureorum.

1 Ad capitis dolorem.

Herba radiolo contusa atq; ante curiose depurgata, cũ aceto scyllitico usq; adeo cocta donec appareat,

perungito, capitis dolorem tollit.

2 Ad aluum concitandam.

Herbæ radioli radicē euulsam & cultro corticem purgatam cum malua coquito, & ius earum bibatur, sine labore uel aliquo tedio uentrē deducit & omnes æstus.

COMMENTARII.



RADIOLVS herba est, quam Græci usitato à Latinis uocabulo polypodion, Germani *engelsüß* nominant. Nasciturq́ in muscosis petris & in uetustis arboribus, earumq́ truncis, præsertimq́ quercuum dodrantali altitudine, quadamtenus pilosum, incisuris diuisum, non tamen adeo minutis ut filix. Radix illi in usu pilosa, derasa intus coloris herbacei, crassitudine digiti minimi, acetabulis cauernosa, ceu polyporum cirri, sapore subdulcis: autor Dioscorides lib. 4. & Plinius lib. 26. cap. 8. Videtur autem radiolum diminuta forma uocasse Apuleius à forma paruorum foliorum, quæ incisuris diuisa ueluti radiolos paruos habet. Filicinā.) Filicina, siue, ut alij, filicula uocata est, quoniam folio similis est filici. Plinius, Polypodion, quam nostri fi
C. 1. liculam uocāt, similis enim filici est. Donec appareat.) id est, tamdiu donec acetum tantum consumptum sit, ut herba iam supra liquorem ascendens, ipso amplius non contegatur: accipitur enim à principio tantū aceti, ut her
2 bam superet & bene contegat. Omnes æstus.) id est omnem feruorem & anxietatē laboremq́ & adfectionem, quæ ex adstricta aluo contingit.

NOMINA ET VIRTVTES
ASPARAGI AGRESTIS.
CAPVT LXXXIIII.

Græci



RAECI myacantha, alij acanthillida appellauere, alij aspharagon, alij asparagõ agrion, Latini corrudam, alij asparagum agrestem, alij asparagum rusticum, alij asparagum nostrum.

1 Ad uesicę dolorem siue tumorem.

Herbæ asparagi agrestis radicem coque in aquæ sextario in pultario nouo ad quartas, & ieiunus diebus septem laborans sumat in potu: plurimis diebus balneo utatur, in frigidam non descendat, neque frigidam bibat, mirifice sanitatem experietur.

2 Ad dentium dolorem.

Herbæ asparagi succum in ore oportet cõtinere.

3 Ad elephantiosos.

Herbæ asparagi radix cocta contrita imponatur elephantiaco, liberabitur.

4 Ad renum dolorem.

Herbæ asparagi radix trita cum uino & potata proficit.

5 Si quis maleuolus deuotauerit hominem.

Herbæ asparagi agrestis radice sicca cũ aqua fontana delustrabis eum, & resolutus erit.

COMMENTARII.



SPHARAGVS siue asparagus generaliter dicitur primum germen & coliculus olerũ & plantarũ qui ex terra prodit, & uidetur antequam in folia explicetur. Qua significatione Paulus Aegineta usus libro primo caput de asparagit inscripsit, bliti scilicet, lactuca, attriplici, malua & beta, quarũ plantam humidam, asparagum uero siccum esse dicit. Contra uero rapa, sinapi, radiculum, nasturciũ, pyretron, brassi-

camq́; plãtam habere ſiccam, aſparagũ uero humidum. Priuatim tamen quia coliculos hos qui prima germinatione prodeunt è terra præcipuos habet ſpinoſa planta hæc de qua nunc agitur, ideo nomen id aſparagi peculiariter ſibi adſciuit & obtinuit. Eſt autem exiguus & ramoſus frutex, folijs numeroſis longis fœniculo ſimilibus: radix eſt ei longa, rotunda, grandis, tuberculum habens. Myacanthan.) id eſt murinam ſpinam: mutuauit autem hoc nomen ex ruſci appellationibus. Acanthyllida.) Acanthyllis dicta eſt quaſi ſpinula: ſpinoſa enim planta eſt, ſed teneriuſcula. Corrudam.) Corrudam quidam à corruo dictam uolunt, quemadmodum apud Atticos horminion ἀπὸ τῷ ὁρμῶ, hoc eſt à ruo, eo quod adoleſcens hæc planta corruat & decidat. Aſparagũ noſtrum.) hoc eſt Libycum. Apuleius enim ex Libya fuit ciuitate Madaura. Et Plin. lib. 20. cap. 10. ſylueſtrem aſparagum, ait, aliqui corrudam, aliqui libycum uocant, Attici horminion. Elephantioſos.) Elephantioſi ſiue elephantiaci dicuntur qui elephantiaſi laborant. Sed quia apud diuerſos diuerſi morbi genus eſt elephãtiaſis, ideo longius & prolixius de hoc agendum. Siquidem Raſis, Auicenna & Arabes, hosq́; ſequuti medici iuniores, elephantiaſin uocant malum in quo pedes & crura plurimum & ultra modum intumeſcũt. Galenus uero & Paulus Aegineta cæteriq́; Græci & Latini ueteres Celſus, Plinius, Serenus & alij, eum morbum ſic uocant quem Arabes & medici recentiores lepram, ex craſſa pituita & atra bile proficiſcẽtem. Nomenq́; traxit à ſimilitudine animalis. Nam uti Galenus lib. 6. de cauſis accidentium ſcribit, hoc morbo laborantes carnem habent nigram & tuberibus plenam, qualis eſt cutis elephãtum. Aliqui tamen ſic dictum putãt, quod ſicut elephas præ cæteris animalibus diutiſſime uiuit: ita hic humor longiſſimus eſt. Seu, ut alij uolũt, ob morbi magnitudinem, qui nulli ferè remedio cedit. Nã ut Paulus Aegineta lib. 4. tradit, Si cãcer unum

C.3.

tantum

tantum membrum infeſtans, tamen ſecundũ ſententiam Hippocratis inſanabilis eſt, quanto magis elephas, qui cancer eſt uniuerſalis, & totum corpus occupãs, omnem curationẽ ſuperabit. Sed hoc intellige de eo qui iam confirmatus eſt, & non qui primum incipit: talis enim non omnino deſperatus eſt, ſed curam, licet difficulter, admittit. Eſt autem non ſolius cutis, ceu lepra, uocata Græcis paſſio, ſed in eo cutis, carnes & oſſa quoq; uitiantur, ſicuti Celſus lib. 3. & Plinius lib. 26. etiam teſtantur, ubi copioſius de hoc malo agunt. Deuotauerit.) id eſt efaſcina 5
uerit, incantauerit & carmine ligauerit. Deluſtrabis.) id eſt expiabis, excantabis & reſolues.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE SABINAE.

CAPVT LXXXV.



GRAECI eam nerion dicũt, alij brathy, alij barython, Itali herbam ſabinam atq; ſauinam, alij ſabinam cupreſſum. Cupreſſo ſimilis.

1 Ad morbũ regium ſiue auriginem.

Herba ſabina cum melle & uino pota auriginem diſcutit, cum uino trita idem facit.

2 Ad capitis dolorem.

Herbam ſabinam diligenter tritam cum aceto & oleo roſaceo mixtam, capiti & temporibus illinitam, ualde dicimus prodeſſe.

3 Ad carbunculos uel ignem ſacrum.

Herba ſabina cum melle illinita, mirifice facit.

COMMENTARII.



ERBAE sabinæ duo sunt genera. Plinius lib. 24. cap. 11. Herba sabina brathy appellata à Græcis duorum generum est. Altera tamaricæ similis folio est, altera cupresso, qua ex re quidam Creticam cupressum dixerunt. Apuleius sabinam cupressum etiam uocari dicit, quod cupresso sit similis: nisi quod, ut Dioscorides tradit, spinosior est, graui odore, acris feruidæq; naturæ: curtaq; arbor hæc est, & in latitudinem magis se explicans. Cæterum dicta est sabina herba à regione in qua plurima nascitur: & herba quidem, quoniam nõ uere arborescit, sed in latera caulium modo in herbis se explicat & dilatat. Vnde κολοβὸν δένδρον, id est decurtatæ breuitatis arbor à Dioscoride uocatur, Græcis κολοβὰ uocantibus, quæ trunca sunt, & summas amiserunt partes. Nerion.) Sic dicta uidetur quod humida & aquosa maritimaq; amet loca, sicut rhododaphne, quæ etiam nerion appellatur, unde & hoc nomen mutuasse potuit.

Barython.) Barython appellatum est, eo quod graui sit odore.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CYNOCEPHALII, hoc est CAPITIS siue CEREBRI CANIS.

CAPVT LXXXVI.



RAECI cynocephalion dicunt, alij antirrhinon, alij bucranion, alij burrhinon, alij ametiston, alij anarrhinõ, alij pithecion, Prophetæ osireostaphen, Itali canis cerebrũ, alij herbam simininã, alij uenustam minorem, alij opalin gratam appellant.

1 Ad epiphoras oculorum.

Herbæ

Herbæ canis cerebri radicem cum aqua decoque, et de eadẽ aqua ſubinde oculos foueto, celeriter lenit.

COMMENTARII.



YNOCEPHALION, ut lib. 4. cap. 124. de antirrhino intitulato tradit Dioſcorides, herba eſt caule & folijs anagallidi ſimilis, flores habens purpureos, uiolis, quas leucoia uocãt ſimiles, minores tamen, eamq́ ob cauſam ſylueſtris lychnis uocata eſt. Semen fert uitulorũ naribus aſpectu ſimile. Quæ narium figura qua ſemen eſt, cauſa fuit ut anarrhinon & antirrhinon à naribus ſcilicet, quæ ῥῖνες dicuntur, & bur rhinõ, id eſt bouina naris ſit appellata hæc herba. Et quia capitis pars ſunt nares, hinc etiam à toto capite & alijs etiam partibus eius nomen inuenit, ut cynocephalion, id eſt canis caput & cerebrum, & bucranion, id eſt bouis caluaria. Amethiſton.) Hoc nomine appellata eſt, eo q̊d purpureo colore, qualis in amethiſto lapide conſpicitur, inſignes habeat flores. Pithecion.) hoc eſt, ut inter Latinas appellationes habetur, ſiminina herba, à ſimia, quæ πίθηκος Grȩce dicitur: ſicq́ dicta uidetur, ut priora, quod ſemen habeat naribus ſimiarũ ſimile aſpectu. Oſireos taphen.) id eſt Oſiridis ſepulchrũ. Venuſtam.) Herba uenuſta uocata eſt, quoniam, ut Plinius lib. 25. cap. 9. refert, hac peruncti uenuſtiores fiãt, &, ut Dioſcorides narrat, quod gratiam inueniant peruncti ea. Theophraſtus uero lib. 9. de plãtarum hiſtoria dicit ad gloriam proficere & honorem qui ea inunguntur. Quæ ſi uera ſunt, merito multifacienda, & plurimum in honore habendã herba erit. Opalin gratã.) Opalis dicta eſt ab Opalio lapide, cuius meminit Plinius libro 37. cap. 7. dicitq́ in ipſo eſſe amethiſti fulgentem purpurã, qui color fecit ut opalis uocata ſit hæc herba ob floris colorem quem purpureum habet. Grata uero adiecta eſt dictio ob gratiã quam præſtat.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ERVSCI RVBIVE.

CAPVT LXXXVII.



GRAECIS dicitur batos siue batos idæa, alijs cynosbatos, alijs syntrophion, alijs asyntrophon, Prophetæ hæma ibeos, & hæma titanu, Itali senticem, alij rubum, alij morũ syluaticum, Daci mantiam, Aegyptij hæmoos. Cynosbathi species sunt duæ. Altera enim est communis, omnibus nota. Altera quæ appellatur idæa siue cynosbathos, quæ est mollis ac lenior comparatione prioris atq; minoris. Nascit̃ sub arboribus umbrosis in terra.

1 Ad aurium dolorem.

Erusci herbæ teneræ cymæ succus expressus tepe factus & instillatus ab aurium dolore liberat & persanat. Certum est.

2 Ad hæmorrhoidas restringẽdas.

Erusci herbæ teneras cymas nouem, & myrthi syluaticæ cymas itidem nouem, mali granati sicci cortices tres pistes & decoques simul in aqua, & cũ tepuerit, fomentabis tunc anum, hoc triduum facies, mirifice restringit & sanat hæmorrhoidas.

3 Ad profluuium mulieris.

Erusci cymas teneras ter septenas decoques in aqua usq; ad tertias, & per triduum ieiunæ in potu dabis, ita ut cottidie renoues potionem.

4 Ad cardiacos.

Erusci folia per se trita imponuntur mammillæ sinistræ, & sic dolori resistunt.

Ad gin

5 Ad gingiuarum & labrorũ uitia.

Erusci herbæ cauliculos teneros in uino decoqui to, & ipsum uinum in ore contine.

6 Ad uuam remedium.

Erusci herbę folia arefiant in umbra, crematorum cinere in cochleario tacta resiliet. Præsentaneum est.

7 Ad uulnera recentia.

Herbæ rubi aut flos aut mora imponãtur, sine col lectionis periculo sanant.

8 Ad condylomata.

Herba rubus cũ uino decoquitur ad tertias, eoq; uino fouentur condylomata, & omnia uitia sedis.

9 Contra serpentium & hominum morsus.

Herbæ rubi folia recentia trita imponantur.

COMMENTARII.



VBVM alio nomine uocari etiam eruscum, te stis est Pandectarius in litera e, ubi eruscum ex ponit esse rubũ. Addidit autem herbæ nomen Apuleius, ut excluderet eum qui inter fruticem & arborem medius rectâ & in altitudinẽ erigitur, & pro prie cynosbatos, id est canis rubus dicitur, de quo Dio scorides agit lib. 1. Qui uero in herbarum censu est, duo rum generũ existit, unus proprie batos, id est rubus, uel ut Columella uocat, sentis appellatur. Theophrastus cha mæbaton, id est terrestrem & humilem rubum uocat. Al ter idæus rubus dicitur à loco, quoniam multus in Ida monte non aliâs nascitur. Cæterum rubos non tantum ad maleficia genuit natura, ut inquit Plinius, sed & ex eis mora bestijs uel hominib. cibos dedit. Syntrophion.) Syntrophion dictum uidetur quod mora animantibus cibos proferat. Senticem.) id est spinã. Spinosus ẽm

est, Dictaq; sentis est, quod quamprimum tangitur, sen-
C.1. tiatur. Cymæ.) Cymæ siue cymata sunt herbarũ sum-
mitates, hoc est asparagi et coliculi teneriores, quos in pri
ma germinatione & in summa stirpe proferũt. Græci κύη
μα, id est cyema dicunt, in quo floris primum, mox semi-
nis fœtus clauditur. Theophrastus lib. septimo de plãtis,
ὅτι τὸ κύημα καὶ ἐν ᾧ τὸ ἄνθος ἢ καὶ ὁ καρπὸς, id est cyema & in
quo flos aut & semen. Plin. lib. 19. cap. 8. de brassica, Cy-
ma, inquit, à prima sectione pręstat proximo Vere, hic est
quidam ipsorum cauliũ delicatior teneriorq; cauliculus
Apicij luxuria, & per eum Druso Cæsari blanditus, non
2 sine castigatione Tiberij patris. Hæmorrhoidas.) Hæ
morrhoides diffinit Galenus uenarum sedem claudenti-
um explicationes & apertiones. Sic autẽ dictæ sunt à san-
guinis fluxu. Nam αἷμα sanguis est, ῥοὴ uero fluxus. Et
Celsus lib. 6. post rhagadiarum & condylomatum tracta
tionem, Tertium, inquit, ani uitium est, ora uenarum tan
quam ex capitulis quibusdam surgentia, quę sæpe sangui
nem fundunt: hæmorrhoidas Græci uocant. Myrti syl
4 uatici.) id est rusci, de qua Dioscorides lib. 4. Cardia
cos.) Cardiaca passio, uti Galenus in Isagoge tradit, ap
pellata est, non quia in corde id malum fit, sed quoniam
antiqui καρδίαν stomachũ appellabant & uentriculi ho-
stium. Et Celsus lib. 3. cap. 19. Cardiacum morbum nihil
aliud esse dicit q̃ nimiam imbecillitatem corporis, quod
stomacho languẽte immodico sudore digeritur. Et inde
6 sic affecti cardiaci dicũtur. Vuam.) scilicet relaxatam.
Est autẽ uua quæ alio nomine Columella quoq; dicitur,
pars oris inter tonsillas ultimo palato dependens, & non
in faucibus collocata, autore Galeno. Et ut Auicenna scri
bit nona tertij: Vua est substantia carnosa pendens super
supremam partem epiglottis sicut uelamen, cui ex mor-
bis accidunt inflammatio & abscessus atq; relaxatio.

Nomina

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE MILLEFOLII.

CAPVT LXXXVIII.

GRAECI myriophyllon & chiliophyllon, alij melophyllon, alij ſtratioticen, alij achillion, alij chryſiten, alij ambroſiam dixere, Latini millefolium, alij militarem, alij ſupercilium Veneris, alij acorum ſyluaticum, Galli bellicocandium, uigentianã, Daci diodelam. Naſcitur in paluſtribus locis, thyrſo unius radicis, molli, fuluo, ita coæquato atque elimato ut manufactus uideatur, folijs fœniculi ſimilibus. Hanc herbã Achilles inuenit, unde uulnera ferro facta ſanabat, & ob id achilleos uocat̃, hac ſanaſſe Thelephium dicitur.

1 Ad dentium dolorem.

Herbæ millefolij radicem ieiunus manducet laborans dentibus.

2 Ad uulnera ferro facta.

Herba millefolium cum axungia piſata & impoſita uulnera purgat & ſanat.

3 Ad tumores.

Herbam millefolium cõtuſam cum butyro tumoribus imponito.

4 Ad urinæ difficultatem.

Herbæ millefolij ſuccus cũ aceto potus, mire prodeſt & ſanat.

COMMENTARII.


MILLEFOLIVM Græcorum chiliophylli interpretatio eſt. Chilion enim illis mille, phyllon uero foliũ ſignificat. Myriophyllon uero idem

est ac si dicas decemmillefolium siue infinitifolium, à dictione μύρια, quæ quando antepenacuitur decem millia, quando uero penacuitur μυρία, tunc infinita significat. Hijsq́ nominibus appellata est, non à certo foliorum numero, sed à copia & multitudine tantum foliorum, quæ numerosa habet & multa. Stratioticen.) id est militarem. Dicta est autem stratiotice, militaris & achilleos, eo quod breuibus & numerosis constet folijs, quemadmodum & herba ea quæ proprie achillea & stratiotice, militarisq́ dicitur, de qua Dioscorides lib. 4. cap. 33. & Plinius lib. 25. cap. 5. agunt, licet Apuleius achilleon hanc millefoliam dictam uelit ab inuentore Achille. Superciliũ Veneris.) Sic dicta est ab hominis supercilio, eo quod quẽadmodum illud minuti, densi & crebri pili uestiunt: sic millefolij huius coliculi minutis densisq́ capillamẽti modo uestiuntur folijs. Veneris autem epitheton additũ est, ut rei maiestas aliqua designaretur.

NOMINA ET VIRTVTES RVTAE HORTENSIS.

CAPVT LXXXIX.



GRAECIS dicitur peganos et eriphion, Romani rutã hortensem appellitant. Nota quidem hæc est omnibus herba, cuius est altera usualis, altera agrestis atq́ uirtutis acrioris, sed utræq́ feruentissimæ comprobantur. Mutantur etiam nomina pro regionum uarietate. Apud Cappadocas appellata est moly, à quibusdã armala, à Syris besasa. Memorant etiã ad Olcymum fluuium appellari uiperalem, eo quod interfectibilis earum comprobetur.

1 Ad sanguinem de naribus profluentem.

Herba

Herba ruta frequentius odorata, ſanguinē de naribus mirifice reſtringit.

2 Ad inflationes.

Herbæ rutæ hortenſis crudæ paululum edito, uel in potione ſumito.

3 Ad ſtomachi dolorem.

Herbæ rutæ ſemen cum ſulphure uiuo & aceto ieiunus guſtato, prodeſſe dicimus.

4 Ad inguinum dolorem.

Herba ruta uiridis coquatur ex oleo, deinde commiſceatur cera, & ut cerato in linteolo utitor.

5 Ad epiphoras oculorum.

Herba ruta cum polenta bene trita & impoſita lenit epiphoras: nam & radix eius contuſa & inlita eas emendat.

6 Ad caliginem oculorum.

Herbæ rutæ rorem matutinum aut matutino madentis ſuccos collectos in uaſculo habeto & ex eo inunges. Eadē & carbunculis ex aceto tuſa imponitur.

7 Ad morſum canis rabidi.

Herbæ rutæ pondus denariorum † ſex ex uino bibatur: plagæ uero imponantur rutæ folia trita cū melle, ſale & pice, liberabitur. *aliàs 5.*

8 Ad cardiacos.

Herbæ rutæ faſciculus cum roſaceo decoquatur, adiecta aloēs uncia & olei, perunctio dolorem ſiſtit.

9 Ad lethargicos excitandos.

Herba ruta trita ex aceto infundatur fronti. Eadē ignem ſacrum ex aceto & oleo illinita, ſanat.

10 Ad oculorum aciem.

Herbæ rutæ folia subinde ieiunus mãducet. Aut herba cum uino trita potui data, antidotum est.

11 Ad profluuium mulieris.

Herbam rutam circumscribe auro & argento & ebore, & sublatam eam alligabis infra talum.

12 Si fluit semen.

Herba ruta mãducetur ex uino cum liquamine.

13 Ad capitis dolorem.

Herba ruta ex uino potui detur, & trita capiti instilletur cum aceto & rosaceo oleo.

COMMENTARII.



RVTAM dictam uolunt aliqui à Græca dictione ῥύτη: sic antiquioribus quibusdam & Nicãdro illam appellantibus. πήγανος autẽ. i. peganus, dicta est Græcis à uerbo πηγνύναι, quod adunare, cõcernere, & quasi in glaciem solidare est. Plutarchus Symposij lib. 3. φασὶ δὲ καὶ τὸ πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὀνομάσθαι. πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιόν ἐστι ταῖς κυούσαις. hoc est, Ferunt autem & peganon à potestate & uiribus dictum. Concernit enim & siccitate indurat ob caliditatem sperma & semen, & in uniuersum aduersum est utero gerẽtibus. Cappadocas.) Cappadoces Cappadociæ incolæ sunt, quæ Asiæ regio est, de qua Plinius lib. 6. cap. 2. & 3. Syris.) Syria regio Asiæ pluribus olim distincta nominibus, de quibus Plinius lib. 5. plura. Macedonia.) Macedonia Europæ regio, quondã terrarum imperio potita, de qua multa Pli-
C. 2. nius lib. 4. cap. 10. In ea Olcymus fluuius. Inflationes.) Inflatio, inquit Galenus, est cum copiosior in stomacho collectus spiritus stomachum simul & aluum distẽdit, im-
3 pediturq; nutrimenti dispensatio. Sulphure uiuo.) Sulphur uiuum dicitur quod ignem non expertum est, ut inquit Celsus, unde & Græci ἄπυρον uocant: nascitur

id,

id, ut Plinius ait, ſolidum, hoc eſt gleboſum: eo ſolo ex o-
mnibus generibus medici utuntur. Aloës.) Aloë ſuc 8
cus eſt herbæ cognominis, de qua Dioſcorides lib. 3. cap.
24. multi nunc uſus in officinis. Lethargicos.) hoc eſt 9
lethargo morbo laborantes. Lethargus autẽ capitis mor
bus eſt phrenitidi contrarius, ut inquit Galenus, à pitui-
ta & frigido humore proficiſcens, qui frigore & humidi-
tate ſua in ſomnum cogit. Nam ut idem Galenus tradit,
cataphora eſt, hoc eſt, in ſomnum delatio grauis & inexci
tabilis, cui et febris accedit. Vnde Paulus Aegineta ait, Ac
cidit autem lethargicis febris lenta & ignaua non ualde
crucians cum cataphora. Et Celſus lethargum phreniti-
di contrarium morbum eſſe dicit, in quo marcor fit & in
expugnabilis penè dormiẽdi neceſſitas. Dictus eſt autem
lethargus tum obliuionis tum deſidiæ argumento quaſi
obliuioſa deſidia ſeu deſidioſa obliuio. Lethe enim obli-
uio eſt, argos uero iners dicitur & deſes. Latini aliquan-
do ueternum uocant, utrunq; etiam aut alterutrum in-
dicantes, deſidiam ſcilicet torporemq́; aut grauiorem ſo-
mnum & obliuionem. Punici ſubethicum morbum di-
cunt. Talũ.) Talus os eſt quod ſub crure utrinq; pro 11
minet. Semen.) id eſt ſperma & genitura: quã paſſio- 12
nem Græci gonorrhœan, & eum qui patitur gonorrhœ-
on, id eſt ſeminis fluxum & ſemine fluentem uocãt. Li
quamine.) Liquamen dicitur pinguitudo ab igne liqua
ta, & coquinario uſui pro condiẽdis edulijs reſeruata. Ac
cipitur tamen aliquando etiam pro alijs quæ in ciborum
uſum non ueniunt. Columella, Succus excocti lupini ue
teriſq́; uini fex, & amurca pari menſura miſcentur, eoq́; li
quamine tonſa ouis imbuitur.

NOMINA ET VIRTVTES MENTASTRI.

CAPVT XC.


RAECI calaminthen, alij glechon agrion, alij hediosmō, alij osmiten, Aegyptij this, Osthanes, Prophetę gonon apollonos, Latini mentastrum uocant, alij nepetam, Hispani creobula, Galli mentam. Huius species tres memorātur. Est enim syluestris folijs ocimi similibus atq; subalbidis & ramis cauliculatis cum flore purpureo. Secunda species appellatur agreste pulegium, quia odore illi similis est, & folia pulegio similiter formata, sed maiora, quam specialiter Latini, ut supra diximus, nepetam uocāt. Tertia est cum folijs mēthæ similibus, longitudine à prædicta porrectioribus, thyrso atq; ramis maioribus, sed inferioribus effectu. Omnium acriora sunt folia gustu, atq; incendiosa.

1 Ad aurium uermes.

Herbæ mentastri succus cū uino austero mixtus, & in auriculā coniectus, uermes natos necare credit.

2 Vt scias in cuius stellæ tutela sis.

Herbam mentastrū tolle mūdus, in linteolo mundo habeto, & quando in pane cocto granum frumenti integrū inueneris, simul cum herba ponito, & preceris septem stellas, id est, Solem, Lunam, Martem, Mercurium, Iouem, Venerem, Saturnum, & sub puluino pone, ut tibi per quietem ostendant, in cuius stellæ tutela sis.

3 Ad elephantiosos.

Herbæ mentastri folia frequenter commanducato, sanare certum est.

COMMENTARII.


ENTASTRVM proprie syluestris mēta est, au tore Plinio & Dioscoride, hic tamē ab Apuleio pro nepeta accipitur, cuius, ut refert, tres sunt species,

ſpecies, quarum hiſtoriam & curationes generaliter præſenti proſequitur capite, & ſpecialiter primæ ſpeciei curationes capite 93. ſub nomine nepethæ montanæ. Calaminthen.) Calaminthe dicta eſt tum quod figura, tum quod natura & uiribus menthæ ſimilis ſit aut congener. Glechon agrion.) id eſt pulegium agreſte, eo quod illi ſimilis ſit forma & odore ſpecies ſecũda. Hedioſmon.) Mutuauit hoc nomẽ à mẽtha, cui ſimilis eſt tertia ſpecies. Oſmiten.) Oſmites dicta eſt, quaſi odora herba propter odoris iucunditatem. Gonon apollonos.) id eſt Apollinis geniturã. Puluino.) Puluinus proprie eſt C. 2. quaſi lectulus quidam exiguus, lana uel tomento uel pluma aut alio genere huiuſmodi plenus, quo utimur in ſedendo: ſed hic pro puluinari accipitur, quod capiti dormituri ſupponimus ad puluini ſimilitudinem. Quietem.) id eſt ſomnum. Ouidius, Somne quies rerum.

NOMINA ET VIRTVTES EBVLI.

CAPVT XCI.



GRAECI chamæacten dicũt, alij chamæſycen, alij mecon aphroden, alij agrian acten, alij euboícen, Galli ducone, Daci olma, Itali ebulum. Ramis rotundis digitalibus terræ proſtratis, ſucco plenis, folijs lenticulatis, fructu ſiue ſemine rotundo, radice tenui.

1 Ad calculoſos.

Herba ebulum tenerũ cum folijs tritum ex uino potui datum, calculos expellit.

2 Ad colubri morſum.

Herbam ebulum tene, & antequã ſuccidas eam, ter nouies dices, Omnia mala beſtiæ canto, atq; eam

ferro quàm acutissimo secundum terram trifariam præcidito, & id faciens, de eo cogitato cui medeberis, reuersus ita ne respicias post tergum, & ipsam herbam contritam morsui apponito, statim sanabitur.

3 Ad hydropicos.

Herbæ ebuli radices conteres, & eius succum expressum cyathis quatuor ex uini sextario semis potui semel in die dato, hydropicis ualidissime proderit: per anum enim humor omnis detrahitur.

4 Ad splenis dolorem.

Herbæ ebuli radicem siccatam, & in puluerẽ mollissimum redactam, ex uini cyathis quatuor, pulueris cohlearia tria, in limine stans bibat, & ebulũ semper secum habeat sine ferro lectum.

COMMENTARII.



ISCET confunditq́ hoc capite duas diuersas herbas Apuleius. Nam de ebuli nominibus & uirtutibus acturum se promittens in capitis titulo, nescio qui chamæsyces alterius herbæ nomina & historia perperam se huc immiscuerint, relicta & neglecta contra ius ebuli historia: quæ quia per aliam exclusa desideraĩ, non abs re fore duximus illam, licet aliâs uulgo non ignotam, ex Dioscoride adscribere. Est itaque ebulum alterum sambuci genus, à Græcis chamæacte, id est humilis & terrestris aut parua sambucus dictũ, minus sambuco & herbæ quàm arbori similius. Caulem habet quadrangulũ multis intersectum geniculis. Folia per interualla ex singulis geniculis exeuntia pennata amygdalæ similia per ambitũ secta, longiora tamen & graueolentia. Vmbellam in summo fert sambuco similem, floremq́ itidem & fructũ. Radix illi est longa, digiti crassitudine. Hactenus Dioscorides lib. 4. cap. 164. Chamæsycen.) Chamæsyce & mecon aphrodes non ebuli, sed alterius herbæ

herbæ quæ hic describitur nomina sunt. Quorũ chamæsice idem est quod humilis & parua ficus, cuius nominis ratio est lacteus succus, quem ficis similem habet. Mecon uero aphrodes est idem quod spumeũ papauer. Et de hac herba agit Dioscorides lib. 4. cap. 160. Plinius lib. 24. capite 15. Agrian acten.) id est syluestrem sambucum. Acte enim sambucus est.

NOMINA ET VIRTVTES PVLEGII.

CAPVT XCII.



GRAECI blechon, alij glechon, alij leucãthon, alij dorcidion, alij † poludon, alij parthenicon, Prophetæ pãtagathon, Osthanes dimoron, Latini pulegium. Quam uim pulegium secũ habeat, multi ignorant. Duo genera eius sunt, masculus & fœmina. Masculus florem albũ habet, fœmina rubeum siue purpureum. Vtrunque utile est & mirabile: uirtutis acerrimæ & feruentis. Vocatur ab aliquibus blechon, eo quod sit balantum animaliũ floris sui tempore pascuosa. Hoc autem in se mirabile habet, quod maximis æstatis caloribus floreat, quum fere aliæ herbæ arescant.

† alias polyidon.

1 Capiti ne noceat æstus aut frigus.

Herbam pulegiũ tecum aut super aurem aut sub annulo portato, hoc & hyeme tota facias, nec grauedinem senties, nec perfrictionem.

2 Ad intestinorũ infantiũ dolorem.

Pulegium & cyminum tritum ex aqua super umbilicum ponito, continuo sanus fiet.

3 Contra nauseam stomachi.

Pulegium tritum uel in aqua maceratũ cum aceto potui dabis, nauſeam ſtomachi ſedat.

4 Ad ueretri pruriginem.

Pulegium in aqua feruente maceratum tamdiu donec bibi poſſit aqua, optimum eſt, & pruriginem ſedat.

5 Ad uentris dolorem.

Pulegium commanducatum, & in umbilico poſitum religatum ne excidat, cõtinuo dolorem diſcutit.

6 Ad tertianas.

Pulegij ramulos tres lana inuolutos odoret ante acceſſionem. Quod ſi quis coronam pulegij in capite habuerit, dolorem ſedat.

7 Si infans in utero mulieris mortuus fuerit.

Pulegij codas tres recentes quæ adolẽt ſuauiter, tritas in uino uetere optimo, ſextarij quartario da bibat, liberabitur.

8 Ne in naui nauſees.

Pulegium & abſinthium ſimul contere ex oleo & aceto, & nares frequenter frica.

9 Si mulier minus purgatur.

Pulegij pondus ſemiuncia in oxymelite cyathis duobus mane ieiuna bibat.

10 Si ſecundæ à partu nõ ſequuntur.

Pulegij tres diſcinge codas, & in uino bono da bibat.

11 Ad ueſicæ dolorem uel calculum.

Pulegium in uini cyathis duobus bene cõtritum ieiunus bibat, & continuo in ſolium deſcendat, intra

paucos

paucos dies sanat, & calculus pellitur.

12 Si quis cor aut pectus dolet.

Pulegium in aceti cyathis duobus ieiunus bibat.

13 Contra spasmum.

Idem faciat si spasmus molestus fuerit.

14 Si mulier obticuerit.

Pulegium contritum & in puluerem redactum lana conuolutum subijciatur ab obstetrice.

15 Ad inflationem stomachi uel intestinorum.

Pulegium ex aqua calida contritum, uel ex uino aut per se dato, rem miraberis illico.

16 Ad morbum articulorum.

Pulegium in oxymellis quartario uel cyathis tribus ieiuno da bibere, eijciet bilem & saniem albam. Idem faciet ut facile respiret.

17 Ad splenis dolorem.

Herbam pulegiũ decoque ex aceto, & id acetum calida permixtum potui dato. Cæterum ne quid pulegij prægnanti dederis.

18 Ad ischiam uel coxarum dolorem.

Herba pulegio & pipere æquis ponderibus tritis in balneo perfricabis ubi dolet.

COMMENTARII.



PVLEGIVM nota herba, sic dicta, ut tradit Hermolaus Barbarus, quod ipsius recens incẽsus pulices necat. Græce blechon dicitur quasi balans herba, eo quod, ut hic tradit Apuleius, balantum animaliũ floris sui tempore sit pascuosa. Plinius tamen & Dioscorides aliam reddunt rationem, utpote, quod gustatum à pecore caprisq; quum floret balatum,

in eis quamprimum cõcitat. Vnde quidam Græci literas
mutantes, blechon quasi glechon uocauerũt. Leucan-
thon.) id est albiflorium, & alterius generis est indicatio,
quod masculum album florem habet. Dorcidion.)
Dorcidion & parthenicon appellationes huic ex dicta-
mno adcreuerũt quæ pulegij folio est, & hijs nominibus
appellatur. Pantagathon.) id est omnibonã herbam,
C. 1. quasi contra omnes morbos efficacem. Perfrictionẽ.)
id est horrorem & frigus. Frigeo enim idem est quod ri-
geo & algeo, &, ut uolunt, deriuat à Græco uerbo φρύττω,
quod est horreo, unde φρύκη horror & frigus dicitur.
3 Nauseam.) Nausea uomendi appetitus est. Et nauseo
7 uerbum, hoc est uomitu infestor. Codas.) id est colicu
los & ramusculos: sic dicti quod longi sint quemadmo-
dum codæ, id est animaliũ caudæ. Sextarij quartario.)
hoc est, quarta parte sextarij, quæ facit cyathos tres. Nam
11 duodecim cyathi sextarium efficiunt. Soliũ.) Solium
uas est balneatorium, in quo homines sedẽtes lauantur,
Teutonice *ain badzuber*. Cæsar Augustus Hispanico uerbo
14 duretam uocabat, teste Suetonio. Obticuerit.) id est
obmutuerit propter locorum & matricis suffocationem.
Subijciatur.) id est, muliebri naturæ intrudat & im-
ponatur. Obstetrice.) Obstetrix mulier est quæ par-
turientium curam habet: sic dicta quod cõtra parientem
16 stet. Eijciet saniem albam.) id est per aluum deducet
& expellet pituitã & humorem pituitosum & saniosum
album. Respiret.) id est exhalet & disijciatur humor
molestans ex articulis.

NOMINA ET VIRTVTES

NEPETAE MONTANAE.

CAPVT XCIII.

Græci.



RAECI eam minthen agrian, alij minthen orinon, alij diaulan, Prophetę hæma hammonos, alij gonon hāmonos, Itali nepetā montanam siue syluestrem.

1 Ad morsum serpentis.

Herbæ nepetæ montanæ ex uino tritæ succus expressus cum uino potui datur, & eius folia cōtrita plagæ utiliter imponuntur.

2 Ad tertianas uel quartanas.

Herbam nepetam montanam in puluerem redactam sub accessione dabis in aqua calida bibere, liberabitur.

COMMENTARII.



VPERIVS cap. 90. de mentastro agēs tres ipsius species tradidit, quarum prima hæc montana nepeta est, quæ Græce minthe agria, id est syluestris mēta, & minthe orinos, id est montana menta nuncupatur. Et à Magis hæma hammonos, id est sanguis hammonis, & gonos hammonos, id est genitura hammonis.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE PEVCEDANI.
CAPVT XCIIII.



GRAECIS dicitur peucedanos, quibusdam sison agrion, alijs agriophyllon, Prophetæ agathon dæmona, Latini pinastellum, alij satanariam uocarunt. Thyrsum habet ut fœniculus, radicem magnā & nigram grauissimi ōdoris, succo plenam, atq; secundum ipsam, coronā densam, florem nigrum. Succus autem in ea processu tempo-

ris augetur, & propterea aliquando præsecta molli radice defluit, atque in umbra deponitur seruanda, Sole nanque uires amittit, sed probatur melior esse flauus & feruens gustatu, & odore grauis, ut in Sardinia & Samothracia.

1 Ad serpentes fugandos.

Herba peucedanũ arcet serpẽtes odore suo. Item cum uetonica & adipe ceruino aut medulla aceto mixta, & morsui imposita, medetur.

2 Ad phreneticos.

Herba peucedanum cum aceto capiti infusa somnum facit.

COMMENTARII.



PEVCEDANVS siue peucedanum, quæ, ut Plinius lib. 25. cap. 9. ait, inter primas celebratur, dicta est Græcis à pinu, quã illi peucen dicunt, sicuti ab eadem pinu Latinis pinastellum, idque ob formæ foliorũ similitudinem. Vel, ut alij uolunt, peucedanus Græcis dicta est ab amaritudine, quæ illis peucedanos & peuces dicitur. Sison agrion.) id est sison agrestis. Agriophyllon.) id est agreste folium. Agathon dæmona.) .i. bonus dæmon, & genius siue deus, ob diuinas uirtutes eius quibus uarijs morbis medetur. Et quia dæmon cum simpliciter & sine adiuncto profertur, communiter in malam partem pro cacodæmone & satana accipitur, factum fortè est, ut ex dæmonis interpretatione dici cœperit à Latinis satanaria, à cõtrario sensu.

Secundum ipsam, coronam densam.) hoc est, iuxta ipsam radicem habet comam densam copiosam & foliosam. Phreneticos.) Phrenetici dicũtur qui phrenesi
C. 2. laborãt. Phrenesis autem proprie cerebri passio est, principales actiones eius lædens, mentemque commouens, & insanire faciẽs, à pallida seu flaua bile proficiscens. Latine

insaniam

insaniam dixeris. De cuius differentijs & generibus plura Galenus lib. 3. de affectorum locorũ notitia, & Celsus medicinæ lib. 3. cap. 18.

NOMINA ET VIRTVTES INVLAE CAMPANAE.

CAPVT XCV.


RAECI panacen chironion, alij panacen centaurion, alij helenion, Latini inulam campanam appellant. Habet folia amaraco similia, flores aurosos, radicem tenuem, non altã, acerrimam gustu, medetur serpente uexatos.

1 Ad uesicæ dolorem.

Herba inula, & apij semen, & asparagi, & fœniculi quoq; radices in unum trita, & in tepida potui data, efficaciter prosunt.

2 Remedium ad cruciatus dentium.

Herbam inulam ieiunus commanducet, dentes confirmat.

3 Ad lumbricos.

Herbæ inulæ folia ex uino trita, mirifice quum bibuntur necant lumbricos.

COMMENTARII.


VEMADMODVM superius capite 91. de ebulo inscripto, sic etiam nunc præsenti capite duas diuersas miscet herbas. Nam inulæ nomina & uirtutes, ceu titulus promittit, traditurus Apuleius, nescio quî chironij panacis immiscuerit nomina & historiam. Inula enim non talis est ut hic describitur, sed ut Dioscorides ipsam depingit, folia habet uerbasco similia, asperiora tantũ & longissima, radicem intus albescen

tem, foris rubentem, odoratā, grandem, acrem, facili lentore mollem. Porrò Cāpana cognominata est à regione Cāpaniæ, in qua magis laudata nasceretur. Helenion.) Helenion appellatum est, quoniam è lachrymis Helenæ natum est, uti fabulantur poëtæ: seu, quod uero uicinius est, quoniā contra serpentes ex eo primum ab Helena remedium inuentum fuerit.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CYNOGLOSSAE.

CAPVT XCVI.

al. pyrgian.



RAECI cynoglosson, alij † phrygian, alij hemionion, alij splenion, alij caballion, alij scolymon, alij pyrgin, alij leucrion, Aegyptij zenis, Itali linguā canis, alij sublabium, alij linguam macedonicam.

1 Ad morsum serpentis.

Herba cynoglossa contrita & ex uino sumpta, ueneno resistit.

2 Ad quartanas.

Herba cynoglossa, quæ folia quatuor habet, pisata & ex aqua potui data, prodest.

3 Ad eos qui minus audiunt.

Herbæ cynoglossæ succum ex passo & oleo tepefactum in aurem stillato, mire sanat.

COMMENTARII.



YNOGLOSSAE duo genera sunt. Vnū quod nunc uulgo eo nomine ab herbolarijs demonstratur, & buglossæ uulgo uocatæ adeo similis est, ut ab ea abscissa uideri possit & difficile discerni, nisi odor qui in cynoglossa grauis est, discrimen il-

larum

sarum indicaret. Et hãc intelligere uidetur Plinius, quan do thyrsos, id est caules illi tribuit. Nam altera sine caule est, uti Dioscorides tradit, & de hac Plinium loqui credimus, cum ait ipsam operibus topiarijs esse gratissimam, quã nos Teutonice *vergiß min nit* uocari putamus. Sed Dioscoridem audiamus, qui lib. 4. cap. 120. sic scribit, Cynoglossos folia latifoliç plantagini similia habet, angustiora tamen minoraq́ & lanuginosa: sine caule canina lingua est, per terram sternitur. Nascitur sabulosis locis. Item Plinius lib. 25. cap. 8. ait, Iungitur plantagini & cynoglossos caninas imitans linguas: topiarijs operibus gratissima. Aiuntq́ quæ tres thyrsos seminis emittat, eius radicem potã ex aqua, ad tertianas prodesse: quę quatuor, ad quartanas. Est alia similis ei & quæ ferat folia lapathi minuta. Eius radix pota ex aqua, ranis & serpentibus aduersatur. Hæc Plinius, qui & nominis rationem reddidit. Aliarum appellationum maior pars ex aspleno huc translata est, quarum aliquas ex Dioscoridis libro emendauimus. Cæterũ Apuleius utranq; cynoglossam præsenti capite comprehendere & intelligere uidetur. Passo.) Passum est C.3. uinum dulce ex uuis passis confectum. Quod quomodo olim conficeretur, docet Columella rei rusticæ lib. 12. capite 39. & Palladius in mense Octobri.

NOMINA ET VIRTVTES SAXIFRAGAE.

CAPVT XCVII.



A GRAECIS dicitur adiantos, alijs scolopendrion, quibusdam scolymos, nonnullis scolíprochos, asplenon, & prochos agrios, Aegyptij phepere, Itali saxifragam, alij uitem canam, alij apruco, alij lampago uocant. Nascitur in montibus locis saxosis, uirgultis nigris lenibus cum

ſplendore, bipalmis, folijs, ut coriandrum ſciſſis in ſummitate.

1 Ad calculoſos.

Herbam ſaxifragam cõtritam ex uino bibendam dato, febricitanti ex aqua calida, tam præſentem effe-ctum exhibet (noſipſi experti ſumus) ut eodẽ die per-fractis eiectiſq; calculis ad ſanitatem perducat.

COMMENTARII.



SAXIFRAGA hæc eſt, non quæ uulgo pro ea oſtenditur & in uſu eſt, & à Dioſcoride ſub empetri nomine tractatur, ſed adianti ſpecies, de qua ſupra egit ſub nomine callitrichi & eadem etiam illi, niſi quod ad curationem hanc eam eligit, quæ non in aquoſis ſed montibus locis ſaxoſis tanquam potior & efficacior naſcitur, nullaq; alia quàm natalis locus & nominum quoddam diſcrimen, inter eas differẽtia eſt: & eadem hæc curatio in altero exemplariorũ noſtrorum capite de callitricho etiam ponitur, quare noſtro iudicio
C.1. præſens caput ſuperiori non male quis iunxerit. Calculoſos.) Calculoſi dicuntur, qui calculum in ueſica generatum habent: quod malum lithiaſis à Græcis appellatur, id eſt morbus calcularis.

NOMINA ET VIRTVTES HEDERAE NIGRAE.

CAPVT XCVIII.



GRAECI eam dicũt ciſſon melan, alij ciſſaron, ciſſion, nyſiónue, alij chryſon meton, Galli boluſſellon, Daci arborriam, Latini hederam nigram.

1 Ad calculos pellendos.

Hederæ

Hederæ baccas aut ſeptem aut nouem contritas, & ex aqua potui ſumptas, mirifice calculos in ueſica congregatos frangere & extrahere per urinam certum eſt.

2 Ad capitis dolorem.

Hederæ ſucco cum oleo roſaceo mixto & cum uino, tempora uel frontem perfricabis, ſedat dolorem.

3 Ad ſplenis dolorem.

Hederæ nigræ grana primo tria, ſecundo quinq;, tertio ſeptem, quarto nouem, quinto undecim, ſexto tredecim, ſeptimo quindecim, octauo ſeptemdecim, nono decem & nouem, decimo uiginti unum, in uino bibantur diurnis diebus: ſi febricitat in aqua calida, maximo auxilio lienoſis auxiliatur.

4 Ad phalangiorum morſus.

Hederæ radicis ſuccus bibatur, item ulceribus hedera ex uino decocta imponatur, mire ſanat.

5 Ad nares graueolentes.

Herbæ hederę ſuccus bene colatus in nares infunditur, & nares male olentes emendat.

6 Ad aurium uitia & eos qui minus audiunt.

Herbæ hederæ ſuccus mundiſſimus cum uino inſtillatus, medetur.

7 Ne caput à Sole doleat.

Hederę folia molliſſime trita cum aceto & oleo roſaceo aduerſus omnem capitis dolorẽ fronti illinitur.

COMMENTARII.



PLINIVS uiginti hederarũ genera facit, quæ à Dioſcoride ad tria tantum contrahuntur, ſcilicet, albam, nigram & priuatim helicen dictam,

quarum candidum fert fructum candida; nigrum crocatúmue nigra, de qua hic agit Apuleius; sicq; dicta est à colore fructus. Sterilis helix est, tenuibus uiticulis, breuibus angulosisq; & concinnioribus folijs. Cisson melan.) id est hederam nigram. Cissaron uero à cisso nihil aliud differt quàm in uocis mutatione solum, idemq; est quod cissos, id est hedera. Cission autem idem est quod hederula, forma diminutiua. Nysion.) Quod erat necion, nos emendauimus in nysion, Plinij autoritate freti, qui libro 16. cap. 35. post candidæ historiam de nigra sic tradit, Simili modo in nigra. Alicui & semen nigrum, alijs crocatum, cuius coronis poëtæ utuntur, folijs minus nigris, quam quidam nysiam, alij bacchicam uocāt, maximis inter nigras corymbis. Habetq; nysij nomen à Baccho, qui Nysius & Dionysius uocatur, idq; honoris causa, quod is eam ex India in Græciam adtulerit. Chrysometon.) Sic dicta est ab aureo acinorum colore & uino, quod μέθυ dicitur, propter Bacchum qui uini repertor eam ex India in Græciam adtulit; nisi pro meton legere malueris meron, ut nominis id habeat à Mero monte Indię in quo nascitur, nec alibi in India, teste Theophrasto, ut refert Plinius dicens, Hedera iam dicitur in Asia nasci; negauerat Theophrastus, nec in India, nisi in monte Mero. Sed considera num potius chrysocarpon ceu apud Pliniū & Dioscoridem habetur, legi debeat, quasi aurei fructus hedera ab aureis corymborum acinis. Diurnis.) id est singulis & tempore matutino circa aurorā dum adhuc à cibo uacuus est stomachus.

C. 3.

NOMINA ET VIRTVTES SERPILLI.

CAPVT XCIX.

A Græ


GRAECIS dicitur herpillos, alij zygis, alijs polion, Aegyptij † meruopnos, Latini serpillum, alij cicer erraticum, alij cicer rusticum. Eius est alia hortualis siue usualis, humi serpens cum folijs atque ramis origani similibus, albidioribus quidem, atque sampsuchi odorem fingentibus. Alia agrestis, quae etiam zygis appellata est, non in solo serpens, sed directa atque stanti positione subrecta cum ramis tenuibus atque † horrentibus longitudine bipalmi, & folijs paruis & angustis tanquam rutę, sed paulò longioribus atque plenioribus & angustioribus: floribus quoque omnibus in uirgis constitutis, in summitate purpureis, remordentibus linguam, odore iucũdo: radice inutili. Nascitur in petris, uehementior est autem quàm rubea, quae seminalis siue hortualis appellata est.

al. meronopus.

aliàs lignosis.

1 Ad capitis dolorem.

Herbae serpilli succo cum oleo & sale fricto & in puluerem redacto, omnibus commixtis caput perunges, sanabitur. Item serpillum decoctum in aceto tritum illinitur temporibus & fronti.

2 Ad combustum.

Herbę serpilli & anchusae surculi unciam, spumae argenti uncias tres cum rosa in mortario teres, cerae punicae, adipis ursini & ceruini semilibram, simul decoques, colabis bene, & impones, combusturas perfectissime sanat.

COMMENTARII.


ERPILLON Graecorum, & inde serpillum Latinorum, dictum est à serpendo, tum quia per terram, qua illam contingens radicatur, serpit: tum quia iuxta sepes plantatum aut ex altiore

loco deorsum demissum adiecto illi pedamento, in longum protrahit & serpit, autore Dioscoride lib.3.& Theophrasto de plantis lib.6. Zygis.) Sic appellatum est sylvestre genus, idque ut uidetur à trutina, quę Græcis zygon dicitur, eo quod in rectũ instar trutinæ ramulos suos erigat. Seu quia ramulis eius ad uinciendum & ligãdum iugandumque præcipue uites, quod Græci ζυγοῦν aliquando dicunt, antiquiores uterentur. Cicer erraticum.) Cicer erraticum ac rusticum appellatum est à foliorum similitudine: cõuenitque syluestri generi hæc appellatio, quod stat, & ciceris modo ramulos suos erigit. Sampsuchi.) Sampsuchus herba est, quæ alio nomine amaracus dici-
C.1. tur & maiorana. Sale fricto.) id est tosto: à uerbo frigo quod est torreo, & à Græco deducitur φρύγω, unde
2 φρυκτὸν, id est frictum. Anchusæ.) Anchusa herba est, de qua Dioscorides lib. 4. cap. 24. Theophrastus libro de plantis 8. & Plin. lib. 21. cap. 16. Spumæ argenti.) Spuma argenti est, quam Græci lithargyron uocant, de quo Dioscorides lib. 5. cap. 56. Mortario.) Mortarium uas est in quo res contunduntur & in puluerem rediguntur, aut aliàs soluũtur quæ soluenda sunt: sic dictum quod in puluerem redacta ueluti mortua condiantur. Cera punica.) In ceræ generibus punica optima censetur, quæ candida est. Insolatur autem, id est ad Solem sub dio ponitur, & post insolationem decocta candescit.

NOMINA ET VIRTVTES ABSINTHII.

CAPVT C.



GRAECI absinthion, barypicron cognominãt, Romani absinthium rusticum, Aegyptij somi appellãt. Est porrò absinthium omnibus cognitũ, cuius probabilius genus est Ponticum, uirtutis

tutis acerrimæ, feruentis & redarguentis amaræ. Nascitur locis cultis & montuosis & saxosis. Nascitur & in Tauro monte Cappadocia. Est præterea aliud absinthium marinum, quod quidam seriphion uocant, plurimum in Taphosiri Aegypti prouincia tenuioris fructus aut seminis à supradicta, & angustioribus folijs, nec sic amarum, sed odoris grauioris.

1 Ad periculum fungorum.

Herbæ absinthij succum ex aceto bibat. Hoc Serotinus uir centenarius euasit, quum esset à fungis tentatus.

2 Ad liuores tollendos.

Herbam absinthium in aqua & aceto decoctam & inductam panno, impone: si corpus tenerum fuerit, ex melle imponito.

3 Ad lumbricos.

Herbæ absinthij & marrubij & lupinorum paria pondera in aqua mulsa cocta, uel in uino austero, bis aut ter in umbilico imposita, necant lumbricos.

4 Ad inguinum uel intertriginis molestias.

Herbæ absinthij & marrubij surculum sumito, & in semicinctio tecum portato, sanaberis.

COMMENTARII.



ABSINTHIVM barypicron cognominatum est à grauitate amaritudinis. βαρὺ enim graue est, πικρὸν uero amarum dicitur. Ponticum autem dictum est à regione Ponto in qua optimũ nascitur, & ubi pecora pinguescunt illo, & ob id sine felle reperiuntur, ut refert Plinius lib. 27. & Theophrastus lib. 9. Taphosiri.) Taphosiris est in Aegypto Osiridis ta-

phos, id est sepulchrum, ciuitas quondam Stephano de urbibus & Plutarcho celebrata: & pro regione illa etiam accipitur, ubi absinthio hoc, ut tradit Dioscorides, pro oleaginis ramis Isiaci sacerdotes utuntur. Et Plinius lib. 27. cap. 8. ait, Est & absinthium marinum, quod quidã seriphium uocãt, probatissimum in Taphosiri Aegypti: huius ramum Isiaci præferre solenne habent. Et lib. 32. capite 9. ait, Nascitur & in mari absinthium, quod aliqui seriphium uocãt, circa Taphosirim Aegypti maxime, exilius terrestri.

C. 1. Fungorũ.) Fungi sunt superfluitas quædam tuberosa & spongiosa, quam terræ superfluitas aut arborum humiditas producit. Quorum duplex differẽtia est, aut enim lætales, idq; multifariam: aut edẽdo sunt, & hij quidem sui copia nocentes. Sed de noxa ipsorum & noxarum remedijs plura Dioscorides lib. 4. cap. 77. & lib. 6. cap. 23. item Plinius lib. 22. cap. 22.

4 Intertriginis.) Intertrigines sunt quæ Plinius aliquando attrita confricataq; membra uocat: quod malum fit aliquando atterentibus & urentibus premẽtibusq; in itinere pedes calceis angustis: aliquando uero longa equitatione cõfricatis interioribus feminibus alijsq; partibus, & ex alijs causis.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE SALVIAE.

CAPVT CI.

GRAECI elelisphacõ, alij crosmin, alij bechion, alij phacon, alij sphagnon appellauere, Aegyptij anusi, Latini saluiã, alij tussilaginem, alij corsaluium uocant. Elelisphacos agrestis grauioris est odoris. Vsualis uero quæ est boni odoris ac lenioris, saluia uocatur. Est igitur frutex siue sarmentũ longitudine porrectum, subalbidum, uirgis maioribus & quadratis, cum folijs paulò asperis, odoris boni, &

ni, & fructu siue semine in summitate ramorum simili orminio agresti. Nascitur asperis locis; & est uirtutis redarguẽtis cum acrimonia, quæ deniq; pro dictamno sæpe uenenum eijcit.

1 Ad ueretri pruriginem.

Herba saluia decoquatur, & de ea aqua ueretrũ infricetur.

2 Ad pruriginem circa anum.

Herba saluia decoquatur, & de ea aqua inferiores partes fomententur, sedat pruriginem summe.

COMMENTARII.



SALVIA dicta est à saluando, eo quod oculorum claritati & uisui prosit, & quia cordi prodest etiam à quibusdam corsaluium uocata est. Crosmin.) Crosmis dicta est quasi crossos, id est fimbria, eo quod folia habeat exoletæ & attritæ uestis modo aspera. Becchion.) hoc est, ut inter Latinas ipsius appellationes habetur, tussilaginem, eo quod tussi medetur egregie: siue à foliorum candore, qui in utraq; ab altera eorum parte conspicitur.

NOMINA ET VIRTVTES CORIANDRI.

CAPVT CII.



RAECI coriannon, alij corion, Latini coriandrum, Aegyptij ochion nominãt. Omnibus notum, & frigidæ uirtutis est.

1 Ad lumbricos.

Herba coriandrum coquatur ad tertias in oleo, et in anum mittatur.

2 Mulier ut cito pariat.

Coriandri ſeminis grana undecim aut tredecim in linteolo mundo de tela alligato, puer aut puella uirgo ad femur ſiniſtrum prope inguen teneat, & mox ut peractus fuerit partus, remedium cito ſoluat, ne inteſtina ſequantur.

3 Ad frigora et omnes febriū typos.

Herbam coriandrum ubi mane uideris ad olitorem propoſitum, accedes ad eum & proijcies denarium, & tolles faſciculum de coriandro, ſed noli nominare, & portes tecum uſq; dum hora ſuſpecta ueniat, quum autem illa trāſierit & nihil tibi prouenerit, ſub ſero proijcias illum poſt te dum ambulas, & noli poſt te reſpicere, liberabit te.

4 Ad pulices.

Herbæ coriandri aquam in domo ſparge.

COMMENTARII.




ORIANDRVM à Græcorū corio ſiue coriano deductum uidetur, quorum nominum ratio & cauſa fuit, quod folia eius & caules cimices olent: quod animal Græci corin uocant.

C. 3. Typos.) Typus Græce forma dicitur, hinc febrium typi, id eſt formæ, quibus una ab alia diſcernitur: alia enim eſt quartanæ, alia aliarum: & pro afflictionis tempore tota q; febre accipitur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE PORTVLACAE.

CAPVT CIII.

A Græ



GRAECIS dicitur andrachne, alijs theonina, alijs cappara, alijs andremas, Prophetæ hæma areos, Daci lax, Aegyptij mothmutim, Latini portulacam, alij porcastrũ, alij illecebram, nonnulli amaranthon uocarunt. Portula ca nota est omnibus: frigidę uirtutis atq; redarguẽtis.

1 Ad † sanguinis nimiũ profluuium. *aliàs seminis.*

Herba portulaca sumpta & per se & cum oxygaro, bene facit.

2 Ad stomachi inflammationem.

Herba portulaca purgat, & in aceto sumpta mire inflammationem tollit.

3 Ad duritiam stomachi.

Herbam portulacã comedat, mirifice facit ad duritiam stomachi.

COMMENTARII.



ORTVLACA nota herba est, & quæ, ut exem plaria nostra testantur, ab aliquibus theonina etiam uocatur. Illecebre uero nomen illi accessit ex alia herba, quam Græci andrachnen agrian, id est portulacam agrestem, Itali uero illecebrã pro prie uocant, & sedi genus est, autore Plinio lib. 25. capite ultimo.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE CEREFOLII.

CAPVT CIIII.



RAECI pæderota uocant, alij † boopes, alij arctophyllon, Latini cerefolium. *aliàs bootis.*

1 Ad stomachi dolorem.

Herbæ cerefolij uiridis cymas tres colliges & pu-

legium in ligno teres, & mellis cochlearium commiſces diligenter, & papauer uiride pariter, & induces ſtomacho, liberabitur.

COMMENTARII.



EREFOLIVM apij ſpecies & genus eſt, Germani *kōrbelkrut* uocant, nota & in plurimo uſu herba, uideturq́ eſſe montanũ apium, quod Græci oreoſelinon uocãt, folio cicutæ, radice tenui, caule anethi, uerũ minore, ut Theophraſtus ait, non obſtante quod Dioſcorides refert habere in ſummo ſimilia papaueri capitula: de hoc enim Dioſcoridis loco quàm integer ſit, ambigimus. Suſpicamurq́ ex Græcorũ oreoſelino deluxatum eſſe Latinorum cerefolium.

NOMINA ET VIRTVTES SISYMBRII.

CAPVT CV.



RAECI ſiſymbrion, alij ſtephanon aphrodites, alij herpillon mega., Latini terralem auſteralémue, alij mentham ueneream appellant. Eſt quidem ſimilis menthæ, ſed latioribus folijs atq; odoris ſummi, & uirtutis feruentis.

1 Ad ueſicæ dolorẽ & ſtranguriam.

uncijs. Herbæ ſiſymbrij contriti exceptos ſuccos † ſcrupulis duobus, febricitanti ex aqua calida, non febricitanti ex uino potui dato, mire remediaberis.

COMMENTARII.



ISYMBRII duo genera facit Dioſcorides, unũ quod in aquoſis naſcitur, et à quibuſdam cardamine uocatur, de quo nihil ad præſens. Alterũ quod in aridis & locis incultis naſcitur, & hoc

capite

capite describitur, & ab aliquibus stephanos aphrodites, id est corona Veneris appellatur, idq́ꝫ quoniam ob odoris suauitatem uoluptates, quibus Venus præest, cōmendando & augendo in comessationibus suis iuuētus olim coronari soleret. Herpillon mega.) hoc est serpillum magnū, eo quod serpilli figuram & speciem aliquam habeat. Mentham uenerea.) Mentha uenerea est appellata ob similitudinē quam habet cum mentha & odoris suauitatem.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE OLVSATRI.

CAPVT CVI.



RAECI smyrnion uocant, alij hipposelinon, alij selinon agrion, Latini olusatrum, Aegyptij denterobon. Radice intus alba, foris nigra, stomacho commoda, non ualida: thyrso molli, cauo atq́ꝫ celso, ueluti scripturis notato, quas Græci grāmas uocant: folijs latis atq́ꝫ rubris, in quibus coma libanotidi similis: semine nigro, longo, acri, accumulato, masticatione atq́ꝫ odore aromata simulanti: uirtute mictualis.

1 Ad uesicæ dolorē & stranguriam.

Herba olusatrum trita ex passo in potu sumpta, stranguriam potenter emendat.

2 Ad purgationem mulierum.

Herbæ olusatri semen ex mulso potui dabis, foeminas purgat.

COMMENTARII.



LVSATRVM qualis herba sit, satis docet Apuleius: sic autem dicta est à colore radicis quæ foris est nigra. Græcorum quidam smyrnion uo

cant, idq; propter similitudinem quandam quam habet cum proprie uocato smyrnio. Hipposelinon.) id est grande apium. Hippo enim Græcis aliquando grande significat, & quod se ultra aliud sui generis erigit, unde etiam hac ratione hippomarathron, hippolapathon & alia dicta sunt, & nō ab ea significatione qua hippos equum significat, ut putauit Theodorus Gaza, qui equapium id dixit. Selinon agrion.) id est apiū agreste. Sic dictum quod inter apij genera præ cæteris altius se extollit, ceu agrestia & erratica facere solent. Grāmata.) Siue ut exemplaria nostra habent, & idem est grammas. γράμμα, ἢ γραμμή, id est grāma siue gramme, Græcis idem est quod scriptura siue pictura & linea, quam Apuleius scripturæ nomine interpretatus est. Habent & alias significationes, sed de quibus nihil ad præsens.

NOMINA ET VIRTVTES LILII.

CAPVT CVII.


RAECI crinon uocant, alij lirion, Latini lilium, alij rosam Iunonis.

1 Ad morsum serpentis.

Herbæ lilij bulbum cōterito, & expressos succos potui dato: ipsum etiam bulbum tritum morsui adponas, mirabiliter sanabitur.

2 Ad luxum.

Herbæ lilij folia tusa & imposita efficaciter sanāt, & si tumor fuerit, sedant tumorem.

COMMENTARII.


ILIVM una mutata litera a Græcorum lirio factum est, & quia eximij cādoris illi flos est, hinc Græcorum poëtæ ex Iunonis lacte natum hunc finxerunt, quare etiam Iunonis rosa uocata est.

Nomina

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE TITHYMALLI.

CAPVT CVIII.



ITHYMALLI species sunt septem, quarum alia masculus siue characias appellatur, uel cometes, aut amygdaloides, atq; gobios, helioscopos, meconitis, alypos, Latini balteū, lactucam marinam, Prophetæ gonon areos. Alia fœmina, quam myrtiten, uel caryiten aut myrsiniten appellant, Romani mutilaginem caprariam. Tertia paralios siue tithymalis, peplis tithymalis aut paralion mecon. Quarta helioscopos, dendritis tithymalis, Latine cicer columbinū & caprago dicitur. Quinta cyparissias. Sexta dendroides. Septima platyphyllos siue persites, Prophetæ asclepiu diadema, Latine † tritum appellatur. Characias igitur nascitur in collibus & montuosis locis, thyrsis ultra longitudinem cubitalem, rubris, succi acrioris atq; albi, folijs oliuæ similibus, paulò angustioribus, sed longioribus: comæ in summitate sunt † schœni similes, uirgulis porrectis, in quibus ueluti caliculi cum semine: radice longa. Educit fel atq; phlegma eius succus subtus uentrem positui datus obolis duobus cū posca, cum mulso autem etiam uomitum mouet: item emortuos dentes & exesos tollit. Fœmina autem asperis nascitur locis, & alba est, folijs similibus myrti, paulò maioribus ac firmis & acutis in summitate spinosis, uirgultis bipalmis, fructu siue semine nuci simili, qui leniter arguat gustu, ac singulos per annos renascatur. Eius succus plus est uomificus, minus tamē à supradicto. Item paralios appellata nascitur circa mare, ramis bipalmis,

aliàs titum.

iunci.

erectis, rubris, quinis uel senis è radice uenientibus, in quibus folia parua, angusta & longa cum capitello in summitate denso, paruo, in quo semen erui simile, sed uariũ, floribus albis ex toto, atq; succo uirtutis superioris. Item helioscopos appellata nascitur in hortis, ramis è radice uenientibus quatuor aut quinq;, bipalmis, tenuibus, rubris, folijs portulacæ similibus, paulò tenuioribus ac rotundis, capitello anethi similis, fructu siue semine uelut in folijs, coma quam dei solis motibus uel circumflexionibus conuertat, uirtute supradictæ similis, sed paulò uehemẽtiore. Item cyparissias thyrso bipalmi nigro aut subrubente, folijs pini similibus, sed paulò mollioribus atq; tenuiorib. Item dendritis nascit̃ in petris, latior atq; rubrior prædictis ramulis, folijs myrti tenuioris similibus, fructu siue semine ut characias. Item platyphyllos similis est † phlomi forma atq; uirtute.

uerbasco.

1 Ad interiorum dolorem.

Herbæ tithymalli frutices terræ, & ex eodem succo mitte cochlearia duo in cyathos † duos uini, & dato ieiuno bibere, sanabitur.

tres.

2 Ad uerrucas tollendas.

Herbæ tithymalli lactem mixtum cum batrachij herbæ succo si in uerrucas imposueris, tertio die sanabit.

3 Ad fistulas.

Herbæ tithymali succũ cum uino mixtum super exprimito, deinde cæteris fomentis obligato.

4 Ad † lentiginem, hoc est lepram.

lichenem.

Herbæ tithymali florem cum resina decoque, & leprosum illine, non sinet crescere.

COMMENTARII.


ITHYMALLVM Celsus & Columella lactucam marinam, Plinius lactariam herbam & lactucam caprinam à Latinis uocari dicit. Suntq́ lactuca & lactaria à lacteo liquore illi indita nomina: marina uero quod prope mare nascatur, præsertim tertia species, quæ paralios appellatur. Caprina autem, quod capræ ea uescerentur. Characias.) hoc est uallaris. Sic dicta quod uallis & septis muniẽdis apta sit, à uallo, quod Græcis χάραξ dicitur: quæ sepiũ cingendarum idoneitas causa fuit, ut baltheum etiam, id est cinctura sit dictum. Cometes.) Sic appellata est ob comã quam in summo caule iunci modo gerit. Amygdaloides.) Amygdaloides nũcupata est à foliorum figura quæ amygdalæ similia habet. Gobios.) Gobios dicta est à foliorum longitudine qua gobium piscem referunt. Helioscopos.) id est solisequus appellatus est tithymallus, eo quod coma eius ad Solis cursum circumagatur, & proprie quarti generis est appellatio. Meconitis.) hoc est papaueracea. Estq́ tertij generis propria appellatio, & alio nomine paralios, id est maritimus dicit, eo quod maritimis nascat locis. Et diminutiua forma tithymalis, quasi lactariola herba: peplis uero tithymalis à foliorum portulacæ similitudine, quæ tamẽ appellatio quarto generi magis conuenit. Paralion autem mecon, id est maritimum papauer à fructus similitudine. Et hanc Pandectarius dicit esse esulam. Alypos.) Alypos dicta est ob similitudinem quandã alterius herbæ, quæ proprie sic uocatur: aut quia malos humores, qui tristitiæ causa esse possunt, expellendo, lætitiam adferat. Gonon areos.) id est genituram Martis. Myrtiten.) Myrtites dicta est secunda species quasi myrtacea à foliorum myrti figura. Sicut à nucibus quibus similem fert fructum caryites & myrsinites. Dendritis.) id est arborescens; à ramorum copia, & quod ferè arborescat: sicut & sexta species, quę den-

drodes eadem ratione uocatur. Cicer columbinum.) Sic appellatum est quod cibum det semine columbis gratissimum. Caprago.) Sic dicta fortassis quod capræ illa uescerentur. Cyparissias.) Cyparissias nuncupata est à foliorum cupressi similitudine. Platyphyllos.) id est latifolius, à foliorũ latitudine. Hactenus de nomenclaturis. Iunci.) Iuncus hic est quẽ Celsus rotundum, odoratũ iuncum uocat, & Græce schœnos dicitur, quam Græcam appellationem hoc loco pro iunco antiqua exemplaria nostra habent, quemadmodum in fine pro uerbasco phlomon. Caliculi.) id est uascula in quibus semen continetur. Posca.) Posca idem est quod Græcis ὀξύκρατον, hoc est, aqua aceto mixta & temperata. Mulsum autem est uinum melle concinnatum. Arguat gustu.) hoc est, gustando linguam & os remordeat & erodat. Singulos per annos renascatur.) hoc est, annua temporum uicissitudine, alius quidem nunc, alius uero anno sequente nascatur: &, ut Plinius ait, Fructus non pariter maturescit, sed pars anno sequente. Dei Solis motibus.) id est ad cursum solis, qui sicut cæteri planetæ an-

C. 4. tiquitus à gẽtilibus pro deo habebatur. Lentiginem.) Lentigo est macula nigricans aut rubicunda liuoreq́ perfusa, & ad lentis similitudinem prouenit: sed hic per lentiginem Apuleius seipsum exponens lepram intelligit, & quidem non in recentiorum & uulgi, sed Græcorum significatione, qua cutis est passio, &, ut Galenus ait, cutis transmutatio ad contrarium naturæ habitum cum asperitate, dolore atq; pruritu & squamarũ resolutione. Celsus lib. 5. impetiginem uocat, & eius quatuor genera facit. Quare nos etiam hoc loco pro lentigine, lichena potius legendum censemus, quod malum est à lepra non multum distans.

NOMINA ET VIRTVTES CARDVI SYLVATICI.

Græci

CAPVT CIX.


RAECI eryſiſceptron, aliĳ ixian, aliĳ † pancra tion, aliĳ chamæleonem, aliĳ cnidiũ coccum, aliĳ ulophonon, aliĳ cynomazon, aliĳ cynozolon, aliĳ ocymoides, Latini carduum † uarium, carduum irinum, carduum lacteum, carduum nigrum, aliĳ uernilaginem, uſtilaginem. Naſcitur in pratis & ſecus uias. Chamæleon herba eſt, alia nigra, alia alba, quæ etiam ixia uocatur: ſiquidem in ortu caniculæ quibuſdam locis ſecũdum eius furcas album uiſcum reperiatur. Habet folia ſupra radicem crebra, aſpera, ſpinoſa atq; terræ proſtrata, ſimul cum thyrſo ſolam ſpinam in medio mittit, carduo ſimilem, flores purpureos tenues atq; tenſos, ac deinde albeſcentes, fructum ſiue ſemen cnici herbæ ſimilem, radicem robuſtam, albam, ex alto mollem, graueolentem, guſtu dulcem. Item nigra, quæ etiam cynozolon à Forano & Dioſcoride eſt appellata, ſiquidẽ præfocet non aliter quàm ſynanchica paſſio. Habet folia tenuiora atq; breuiora, rubra, pinguiora, thyrſum robore digitali, longitudine ſæpe palmorum quatuor, fuluaſtrũ, ex quo umbraculum tenue cum floribus ſpineis, radice ualida, nigra, denſa, aliquando etiam exeſa uel corroſa, fuluaſtra, quæ interius maſticata remordeat. Vocatur autem chamæleon propter foliorũ uarietatem.

al. pancarpon *al. a.*

1 Ad infirmitatem ſtomachi.

Herbæ cardui ſyluatici, quã habet in capite ſummo medullam uiridem dato ex oxygaro edat, liberabitur.

2 Vt occurſus malos non timeas.

Herbam carduum ſyluaticum, ſi Sole nouo fue-

rit Luna in Capricorno, tolles: & quãdiu tecum portaueris, nihil mali tibi occurret.

COMMENTARII.



ARDVORVM syluestrium plura esse genera, testantur autores, è quorũ numero est chamæleon etiam, de quo præsenti sub cardui syluatici nomine agitur capite: qui & ipse duarum est specierum, albus scilicet, qui carduus minor etiam uocatur, & cuius uirtutes habitæ sunt supra cap. 25. de chamæleone inscripto: alter uero est niger uocatus, ceu post nomenclaturas ex historia ipsius patet, quã nos ex antiquis exemplaribus nostris ultra ea quæ in impresso prius codice habentur, adscripsimus. Dictus est autem chamæleon ut Apuleius testatur, à foliorũ uarietate. Mutat enim cum terra colorem, qui hic niger siue herbaceus, illic uiridis siue albescens, alibi cyaneus ceruleúsue, alibi croceus aut rubeus atq; alijs coloribus uidetur, autore Plinio & Dioscoride. Vnde & Carduus irinus, uarius &c. à Latinis uocatur. Ixias.) Ixias uocat chamæleon, ut tradit Apuleius, & proprie albus, eo quod quibusdã in locis secundum furcas sub alis foliorum, uel ad radices eius uiscum, quod Græci ἰξὸν uocant, gignit, maxime circa canis ortum, quo modo thura nasci dicũtur, quo ut mastiche utuntur mulieres. Vlophonos.) Vlophonos appellatur, ut Plinius tradit, eo quod ricinos canum necat, & iuuencas anginæ modo, οὔλιον enim & φόνος Græce significat exitium. Cynomazon.) Sic dictum est quod in pulte canibus datum, ipsos enecat. Siquidem μᾶζα Græcis puls est, κύων canis. Cynozolon.) Cynozolon uocatum est propter grauitatem odoris, uel ut Apuleius tradit, quod præfocet non aliter quàm synanche. Vstilago.) Sic dicta est, eo quod radix masticata urat & incendiosa sit, præsertim eius qui niger uocatur carduus.

Nomi

NOMINA ET VIRTVTES LVPINI.

CAPVT CX.



GRAECIS uocatur thermos orinos, à Romanis lupinus montanus. Nascitur secus sepes aut locis sabulosis.

1 Ad lumbricos & tineas.

Herbam lupinum montanum contere cum radice & dato ex aceto cyathum unum bibere, sine mora eijciet lumbricos. Item infanti cum absinthio tritum in umbilico impones, liberabitur.

COMMENTARII.



THERMOS orinos Græce, Latine lupinus est montanus, qui & syluestris est. De lupino inter alia eius naturæ admirãda scribit Plinius lib. 18. cap. 14. quod ter floret, nec ullius quæ feruntur naturam assensu terræ mirabiliorem esse: nam primum omnium cum Sole quotidie circumagitur, horasq́ agricolis etiam nubilo demõstrat. De syluestri uero eandem contra uentris animalia tradit uirtutẽ lib. 22. cap. ultimo.

NOMINA ET VIRTVTES LACTERIDIS.

CAPVT CXI.



GRAECIS dicitur lathyris, coccos gnidios, alij chamæleam dicunt, alij † eupolin, alij † epantemon, Aegyptij otetim, Itali citocacium, alij lacteridem nuncuparũt. Nascitur locis cultis & sabulosis, thyrso cubitali, roboris di

al. eupaulin.
al. eupanthe on.

gitalis, inanis, cuius in summitate furcæ atque folia longa ut in aristolochia, fructu in summitate ramorũ trigono, & ueluti rotundo ut capparis, in quo tria semina obtecta folijs abinuicem discernuntur, rotunda, & eruo maiora, quæ depurgata spolijs depositis alba reperiuntur & dulcia.

I Ad duritiam uentris.

Herbæ lacteridis semen quod est granum, dabis ex eo purgata grana octo potui in aqua frigida, & mox aluum concitat.

COMMENTARII.



QVEMADMODVM tithymalum Latini lactariam, sic lathyrin Apuleius Latine lacteridẽ uocauit, à lacteo scilicet liquore quem reddit: & hanc etiã Paulus Aegineta inter tithymalli species numerat, cum in sexto ait, Priuatim hanc quidam tithymallum uocant, quoniam pariter illi lac eius purgat. Et hæc esse uidetur quæ nunc cataputia minor dicitur.

Coccos gnidios.) Ex thymelea cuius semen proprie sic appellat, huc adcreuit appellatio ista, idque ob effectus in purgando similitudinem: quæ causa etiam fuit ut chamælea diceretur, quum alia proprie sit herba, quam oleaginem siue oleastellum uocant Latini. Citocacium.) Citocacium à cacando dictum uidetur, eo quod cito faciat cacare. Folijs.) id est laminis & tuniculis. Spo
C. 1. lijs.) id est cortice. Aqua frigida.) Quod in prius impresso codice erat calida, id nos exemplaria nostra sequuti diximus frigida, & nostro iudicio melius, ut feruẽs uirtus eius nonnihil reprimatur, & Plinius lib. 27. cap. 11. in pura aqua etiam sumere iubet, & Dioscorides lib. 4. super potare frigidam.

De

DE VIRTVTIBVS LACTVCAE LEPORINAE.

CAPVT CXII.



ASCITVR lactuca leporina locis sabulosis. Lepus cum æstate à nimio deficit æstu, hac herba remediatur, ideo lactuca leporina dicitur.

1 Ad febricitantes.

Herbam lactucam leporinam suppones sub puluino infirmo nesciente, remediabitur.

2 Si pili oculis obstant.

Herba lactuca leporina pilos oculis obstātes, summe relegat.

COMMENTARII.



ACTVCA leporina cur dicta sic sit, satis docet Apuleius. Et hanc syluestris lactucæ speciē esse credimus: & forte ea est quā Itali casam, id est domū leporis uocant. Si pili oculis obstāt.) C.2. hoc est, si pili oculos impediunt & irritant, ipsisq; aduersantur: quod uitiū duobus modis fit, ut lib. 7. tradit Celsus. Nam modo palpebræ superioris summa cutis relaxatur & procidit, quo fit ut eius pili ad ipsum oculum conuertantur, quia non simul cartilago quoq; se remisit. Modo sub ordine naturali pilorum alius ordo subcrescit, qui protinus intus ad oculū tendit, & hanc Græci ditrichian uocant.

NOMINA ET VIRTVTES CVCVMERIS SYLVATICI.

CAPVT CXIII.

alias e- ritinon  RAECI elaterion, alij sicyon agrion, alij † grynon, alij balin, alij bubalion, alij scorpion, alij pherombron, alij peucedanō, alij notion, Itali cucumerem anguinum & cucumerem syluaticum, Prophetæ hæma ictinos, Punici cussimezara. Nascitur locis harenosis, & maritimis & calidis: folia simulans cucumeris usualis cum uirgultis breuioribus, radice alba, magna, & fructu longitudine digitali. Totus autem frutex amarissimus.

1 Ad neruorū dolorem & podagrā.

Cucumeris syluatici radices in olei cibarij pondo tribus decoques ad tertias, & exinde perunges, sanabuntur.

2 Ad aborsum.

Herbæ cucumeris syluatici radices in aqua ad tertias coquantur, & inde se sublauet. Si quis autem ieiunus fructū eius ediderit, periclitabitur: ideoq; quisq; abstineat neq; manducet.

3 Ad tumores & collectiones.

Cucumeris syluatici radix cum polēta aspersa tumores spargit.

4 Ad humorem aurosum.

Herbæ cucumeris syluatici contritæ succum expressum in nares contra Solem iaciat, omnem humorem aurosum per nares eijciet. Cum aceto decocta ualet contra podagram.

COMMENTARII.

 VCVMER syluaticus est cucumer agrestis, sic dictus ad differentiam satiui, cui folijs, uiticulis & flore similis est, solo fructu differens. Nostri temporis medici eum cucumerem asininū uocant. Elaterion.) Elaterion propriē dicit cucumeris huius

huius syluatici succus & ex eo medicamẽtum: sic dictum ἀπὸ τοῦ ἐλᾶν, quod est pellere, quasi expulsorium, ob uim purgãdi quam habet acrem. Gaza agitatorium interpretatus est: sed notius nunc elaterij nomen. Sicyon agrion.) id est cucumerem agrestem. σίκυον enim cucumer est Græcis. Grynon.) Grynon appellatum est, quod ad minimum compressum succum remittat, tanquã maiore ui aliqua pulsum, à γρῦ uoce fictitia quod minimum quid significat. Ni critinon, ut alterum exemplariorũ nostrorum habet, legere malueris, à κρᾶθεν, quod ex capite significat, eo quod sternutamenta ciendo pituitam à capite deducat. Ballin.) Ballis dicta est à uerbo βάλλω, q̃d est iaculor, ferio aut uulnero, eo quod solo attactu maturum, succum ex se eiaculetur: seu quod humores è corpore potenter expellat. Bubalion.) Sic dictum est, eo q̃d bubus & iumẽto præcipua medicina fuerit olim. Scorpion.) Scorpion appellatum est, eo quod semen habeat ad speciem scorpionis cauda reflexa, ut tradit Plinius lib. 20. cap. 1. Aliqui etiam ab eo scorpionum cucumim uocãt, efficacissime contra scorpionum ictus, & semine & elaterio. Quæ causæ etiam fortè fuerunt ut anguinus sit uocatus cucumis. Peucedanũ.) Peucedani nomen habet ab amaritudine. Siquidem πευκεδανὸς Græcis idem est q̃d amarus. Notion.) Notios dictus est quasi humidus, quoniam humore plenus est fructus. Hæma ictinos.) id est sanguis miluius. Pondo.) Pondo indeclinabile est, & proprie pondus significat duodecim librarum: reperitur tamen etiam aliquãdo pro libra positum, ut hoc loco. Aborsum.) Aborsus est mulieris in utero gerentis corruptio, quæ primis mensibus conceptu exorso fit. Nam quæ prope pariẽdi tempus euenit, abortus dicitur: licet has quidẽ, grandiore iam fœtu, eiectiones: illas uero quę intra quadragesimũ à cõceptu diẽ cõtingũt abortus, illustriores appellent. Sed uoces heæ plerũq; cõfundunt. Sublauet.) .i. subtus circa pudibũdà se lauet, balneet &

C. 1.

2.

3 fomentet. Polenta.) Polenta eſt quam Græci ἄλφιτον uocant, ordeacea farina, non tamen ſimpliciter, ſed quæ certo modo quodam conficiebatur, idq́ uarie: quo modo autẽ fieret, docet Plinius naturalis hiſtoriæ lib. 18. 4 cap. 7. Humorem auroſum.) Humorem auroſum ab auri colore uocat humorem felleum, qui caput petens & oculos cutemq́ ſubiens morbum qui ictericia uocatur, efficit, quem humorem per ſternutationem educẽdo, ictericiam curat, quod & Dioſcorides & Plin. etiã teſtantur.

NOMINA ET VIRTVTES CANNABIS SYLLVATICAE.

CAPVT CXIIII.

CANNABIS alia eſt uſualis, alia agreſtis, quã nonnulli hydraſtinam, Itali terminalem appellitant. Radice ſimilis althææ, quã nos ibiſcum appellamus. Naſcitur locis aſperis & ſecus uias ac ſepes.

1 Ad mammillarum dolorem.

Herbam cannabem ſyluaticam tuſam cum axungia imponas, diſcutiet tumorem: & ſi collectio fuerit, exſparget.

2 Frigore exuſtis.

Cannabis ſyluaticæ fructum tritum cum urticæ ſemine ſubiges aceto, & eis impones.

COMMENTARII.

CANNABIS huius hiſtoria quia imperfecte ab Apuleio tradita eſt, ex Dioſcoride illam ſupplebimus, qui ſic eam tradit, Similes althææ uirgas profert, minores tamen, nigriores, craſſioresq́, altitudine cubitali. Folia habet ſatiuæ ſimilia, aſperiora

riora tantum & nigriora. Flores rubeſcentes lychnidi ſimiles. Semen uero et radices altheæ. Hęc ille lib. 3. cap. 156. Plinius lib. 20. cap. 23. Cannabis, ait, in ſyluis primum nata eſt, nigriore folio & aſperiore. Exſparget.) id eſt, C. 1.
diſijciet & diſcutiet atq; reſoluet. Et hoc melius q̃ expurget. Exuſtis.) loco exuſtis, exemplaria noſtra habent 2
conſtrictis, id eſt contractis, rigẽtibus, & infrigidatis. Et hoc ſignaſſe tantum ſatis ſit.

NOMINA ET VIRTVTES RVTAE MONTANAE.

CAPVT CXV.



GRAECI peganon orinon, Itali rutam montanam uocauere. Naſcitur in montibus locis aſperis.

1 Ad caliginem oculorum & ulcera.

Herbæ rutæ montanæ roſcidæ folia decocta in uaſculum uitreum mitte & uinum uetus admiſce, & ſic inunge.

2 Ad præcordiorum dolorem.

Rutam ſyluaticam contunde in uaſe ligneo, deinde de puluere tribus digitis quantum præhendere poteris, mitte in calicem, & uini cyathum unũ & aquæ calidæ cyathos duos, da bibat, & contineat ſe in lecto modicum, mox ſanus erit.

3 Ad hepatis dolorem.

Herbæ rutæ ſyluaticæ manipulum in olla noua & aquæ heminis tribus, mellis tantũdem adiecto, fac inferueſcat, idq; per triduum facies bibere, & ſic plures poteris ſanare.

4 Ad difficultatem urinæ.

Herbæ rutæ syluaticæ cauliculos nouem contrito, additis aquæ cyathis tribus, et aceti hemina, & subferueat, & da bibat continuos dies nouem, sanus fiet.

5 Si mulier intrinsecus aliquid mali habuerit.

Herbæ rutæ syluaticæ semen contritum ex uino austero da bibat præter partum, liberabitur.

6 Ad stertentes uino.

Rutæ syluaticæ semen cum uino potũ, mire facit.

7 Ad eos quos scorpio percusserit.

Rutæ syluaticæ semen contritum ex uino dabis potui, dolorem sedat.

COMMENTARII.



QVEMADMODVM in aliis aliquot herbis, sic etiã in ruta de diuersis generibus, separatis agit locis: de hortensi enim supra egit cap. 89; de syluatica uero præsenti, quã Græce peganon orinon uocari dicit, hoc est, ut ipse autor Latine reddidit, ru
C. 1. tam montanã. Roscidæ.) hoc est, matutino rore per-
5 fusæ & humentis. Si mulier intrinsecus &c.) hoc est, si mulier in utero menstruorum, aliarúmue superfluitatum retentione aut post partum secundæ retentione laborat & uexatur. Præter partum.) hoc est, quũ non est grauida nec in utero gerit, quoniam ut Plinius & Dioscorides testantur, menses cit & fœtus in utero necat. Stertentes uino.) id est eos qui uino inebriati tanq̃ dormientes & sensibus menteq; priuati iacent cõsternati & amentes uiribusq; destituti.

NOMINA ET VIRTVTES
HERBAE HEPTAPHYLLI.

Græci

CAPVT CXVI.


RAECI heptaphyllon, Latini septifolium dicunt. Nascitur locis cultis & sabulosis.

1 Ad pedum dolorem.

Herba septifolio trita & cum † luto mixta, pedes perunges, tertio die dolorem tollit. oleo.

COMMENTARII.


EPTAPHYLLON herbam eandem esse cũ pentaphyllo, & solo nomine ac foliorum numero differre, uocariq; nostro tempore tormẽtillam, superius dictum est à nobis cap. 2. Sed de hac re audiamus etiam quę Hermolaus Barbarus scribit inquiens, Hippocrates duo uidetur nouisse quinq;folia, Candidum, quod & herbaceum, & procerius est à terra. Nigrum, quod humilius. Et est quæ tormentilla uulgo dicitur, quinq;folio simillima, nisi quod septem, non quinq;folia habet. Potest à nobis heptaphyllon uocari, hoc est septemfolia.

NOMINA ET VIRTVTES OCIMI.

CAPVT CXVII.


CIMVM est herba notissima atq; difficilis digestionis, & mutatione sui inflabilis, & uirtutis mictualis.

1 Capitis dolori medendo.

Herbam ocimũ tritam cum oleo rosaceo aut myrtino uel aceto fronti imponas, mirabiliter capitis dolorem sanat.

2 Ad epiphoras oculorum.

Ocimum ex uino optimo tritum, oculis illinitur.

3 Adrenes.

Herbæ ocimi succum in mali granati cortice coctum da ut bibat, mirifice auxiliatur.

COMMENTARII.



CIMVM aut si mauis ozimum, ab ὄζειν, quod redolere significat, herba est odora, quæ nunc basilicon dicitur, Teutonice *basilien*. Mutatione sui inflabilis.) hoc est, quum iam per concoctionem & digestionẽ in uentriculo mutatur inflationes faciens.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE APII.

CAPVT CXVIII.



RAECI selinon, melissophyllon, Prophetæ hæma oru, Romani apiũ. Omnibus notum est, acerrimæq; uirtutis atq; mictualis.

1 Ad epiphoras oculorum.

Herba apio trita bene cũ pane molli, oculi tegantur, mirifice sanat.

2 Ad arsuram stomachi.

Herbã apium decoque in aqua, & ex ea aqua da ut bibat, statim sedat sitim.

COMMENTARII.



PIVM hoc est quod nunc uulgo petroselinum uocant, quod uel ex Plinio & cõmuni usu constat. Plinius lib. 20. cap. 11. Apio, inquit, gratia uulgo est. Nanq; rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent: quæ omnia petroselino nostro conueniunt. Melissophyllon.) id est apum folium. Hæma oru.) id est sangui

ſanguinem Ori. Et ſic exemplaria noſtra habent & Dioſcorides, non areos. Arſuram ſtomachi.) hoc eſt, ad ardorem & roſionem uentriculi & orificij eius, quæ prouenit ex defectu humiditatis aut abundantia humoris biliosi & adurentis, ſitimq́ inducentis. C. 2.

NOMINA ET VIRTVTES HEDERAE CHRYSOCANTHIS.

CAPVT CXIX.



A GRAECIS dicitur ciſſos, & chryſocanthos. Sic appellata, q̄d grana aurei coloris ferat.

I Ad hydropicos ſanandos.

Hederæ chryſocanthos grana uiginti in uini ſextario conterantur, & ex eo uino terni cyathi bibātur per dies ſeptem, & per urinam lienis hydrops exinanietur.

COMMENTARII.



HEDERARVM plura eſſe genera, habitū eſt ſupra cap. 98. inter quę & ea eſt quæ ab aureo granorum colore chryſocanthos dicitur, de qua nunc ſeorſum hoc loco agit Apuleius. Lienis hydrops.) id eſt hydropiſis & aqua inter cutē quæ lienis uitio accidit: maximā enim uim habet lieni medendo hedera omnis. C. 1.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE MENTHAE.

CAPVT CXX.



HEDIOSMOS Græcis, Romanis mentha dicitur. Eſt ſuaui odore. Naſcitur in hortis. Virtutem habet thermanticam & ſtipticam.

1 Ad ignem sacrum.

Herbæ menthæ succus expressus adiecto sulphure & aceto, de penna inunctus, sine mora dolorem sedat.

2 Vlceribus in capite manantibus.

Herba mentha contrita & imposita, ulcera siccat. Lege eam mense Augusto, mane primo priusquam Sol exeat, mũdus, ad omnia sic dicens, Te precor herba hedyosmos per eum qui nasci te iussit, uenias ad me hilaris cum tuis uirtutibus & effectu tuo, & ea mihi præstes quæ fide à te posco.

COMMENTARII.



MENTHA nota herba est, sic dicta à Minthe puella Plutonis pellice in hanc transformata, uti fabulantur poëtæ. Germani hanc *mintzen* & *krußmintzen*, aliquando uero *wolgmůt* uocãt, licet posterior appellatio alteri etiam herbæ quæ est origanum communis sit. Cæterum quæ post nomẽclaturas ante curationes ponuntur, ex altero exemplariorum nostrorum adscripsimus. Hedyosmos.) Sic dicta est ab odoris suauitate. ἡδὺ enim suaue & ὀσμὴ odor est. Plinius lib. 19. cap. 8. Menthę, inquit, nomen suauitas odoris apud Græcos mutauit, quũ alioquin minthes uocaretur. Vnde ueteres nostri nomen declinauerũt. Grato mentha mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Hæc ille. Thermanticam.) id est calfactoriam.

DE ANETHO.

CAPVT CXXI.

1 Ad ueretri dolorem.

Herbam anethum combure, & in cinerem eius commisce

commiſce cum melle, deinde uulnus foue ex aqua, dein myrtino oleo calido laua, & ſic medicamen impone.

2 Loci mulierum ſi dolent.

Herbæ anethi medicamine ſupra ſcripto peſſum factum iniiciatur ab obſtetrice.

3 Ad capitis dolorem.

Herbæ anethi flores cum oleo decoque, & temporibus illinito et alligato, mirifice dolorē capitis aufert.

COMMENTARII.



ANETHVM nota etiam herba eſt, & Teutonice *dillen* uocatur, eſtq́ nunc in communi contra colicam & uentris dolores, uſu. Loci.) Loci dicuntur mulieris uterus & matrix ipſa. C. 2.

Peſſum.) Quid ſit peſſus aut diminutiua forma peſſulus, docet nos Celſus medicinæ lib. 5. cap. 21. dicens, Vt ea quæ fœminis ſubiiciuntur (peſſos Græci uocant) eorum hæc proprietas eſt, medicamēta compoſita molli lana excipiuntur, eaq́ lana naturalibus conditur. Et Paulus Aegineta pectitam lanam eſſe dicit aut aliud quodcunq; teres digiti humani forma quo medicamenta ſubſtinētur.

NOMINA ET VIRTVTES ORIGANI.

CAPVT CXXII.



ORIGANON à Græcis heracleoticon, onitis, aſclepion, panaces, conila appellatur, Latini cunilam gallicam et origanum nomināt. Species eius ſunt tres. Prima appellata eſt heracleotice, habens folia in ſimilitudine hyſſopi, uelut ſciſſili umbraculo cum ſemine in ſummitate uirga

rum non frequenti uel denso. Alia est onitis appellata simillima thyrso hyssopi, sed albidior, folijs cum semine iugi ac denso & in corymborum uicem pendenti. Tertia agrestis appellata est panaces, uel asclepiō, aut conile, ut Nicāder posuit, cum uirgis bipalmis tenuibus, cū umbraculo simili anethi, & floribus albis, radice tenui, folijs tanquam cōmunis origani. Sed sunt omnes acerrimæ uirtutis ac feruentis.

1 Ad tussim.

Herbam origanum commāducet, miraberis effectum. Item origanum in puluerem mollissimum tritum, & mel usq; ad tertias decoctum, misce, & exinde figurabis trochiscos, & dabis bibere in aqua calida, tussim potenter aufert.

COMMENTARII.



ORIGANVM etiam nota herba est, quam Germani nunc *rotdosten*, nunc communi cum mentha nomine *wolgmůt* nuncupant. Cæterū historiam ipsius & genera ex nostris exēplaribus huic capiti addidimus: quæ autem ab initio ponuntur nomina, specierum sunt differentiæ. Heracleoticon.) Sic dicta est à ciuitate Ponti Heraclia, ubi optima nascitur, & hoc ideo quo ab alijs hoc cognomine distincta probaret prima. Panaces.) Sic dicta est quod omnibus morbis medeatur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE SEMPERVIVAE.

CAPVT CXXIII.



GRAECI aizoon, alij aithales, alij erithales, Latini semperflorium, & semperuiuū, siue uitalem nominăt. Semperuiuum nomen sumpsit

psit quod sit semper uiridis atq; uigens. Nominatur ab aliquibus stergethron, eo quod amorifica iudicetur, unde & pro foribus à plurimis ponitur, caussa expellendi odia. Est etiam ambrosia dicta propter usum sacrum. Item buphthalmos & zoophthalmos appellata est propter schema. Cubitales euomit thyrsos, robore digitali, facile uigentes atq; pingues, cum folijs pinguibus maioris digiti crassitudine linguatos, hoc est, linguam simulantes in summitate, inferiora uero supinata, sed in capite præstricta, rotunditatem oculi simulātia. Nascitur locis montuosis, in domibus etiam plurimi nutriendam serunt. Nascitur quoq; parua in parietibus atq; petris & rupibus ac sepulturis & umbrosis locis: Et uocatur ab aliquibus erithales uel micron aizoon, quod à præscripta parua sit in forma, ex una radice plurimos emittens thyrsos supernatantes uel circumdatos folijs pinguibus in summitate acutis, ex medio tamen thyrsum bipalmem cum floribus tenuibus & uiridibus. Sed est communis uirtus semperuiui herbæ constrictiua siue redarguens, à Græcis stiptica appellata. Deniq; ad eosdem usus & taliter hæc adhibetur, ad quos perdicion & arnoglosson herbæ. Quidam etiam tertiam speciem addunt, quā Græci agrian andrachnen uocant, uel telephion, Latini illecebram, latioribus folijs & hirtis ut portulacæ. Nascitur in petris, & habet uirtutem acriorem ulcerantem, cum ueteri deniq; adipe scrofis adhibetur, sed & duritias dissoluit.

1 Ad apostemata.

Herbam semperuiuū cum axungia & pane & coriandro simul tritam uice malagmatis impone, mirifice aut spargit aut rumpit.

Ad hemitritæum.

Herbæ ſemperuiuæ folia quinq; trita in aqua calida potui dentur.

COMMENTARII.



SEMPERVIVA herba eſt, quam alij ſedum, Germani hußwurtz nominant, Græce aizoon, id eſt ἀείζωον dicitur, ἀεὶ enim ſemper, ζῶον uiuum ſignificat. Aithales uero, id eſt ἀειθαλὴς ſemperflorium & uires dicitur, à uerbo θάλλω, quod eſt uireſco & floreo. Erithales autem ualde uireſcens eſt, ab ἐρι dictione intenſionem & augmentum in compoſitione adferente. At ſtergethron dictũ eſt à uerbo στέργω, quod eſt amo. Et demũ buphthalmos & zoophthalmos idem eſt quod bouis & animalis oculus. βοῦς enim Græcis bos eſt, ζῶον animal, ὀφθαλμὸς oculus. Quorum nominum omnium cauſam & rationem reddit autor in textu. Schema.) id eſt σχῆμα, hoc eſt, figuram & formam qua oculorum rotunditatem & ſimilitudinem indicant. Micron aizoon.) id eſt paruum & minus ſemperuiuum. Agrian andrachnen.) id eſt agreſtem portulacam, eo quod folia habeat ad portulacæ figurã accedẽtia. Hemitritæum.) Hemitritæos febris eſt ſemitertiana: ſic dicta quod totius duarum ex quibus componitur febrium naturæ medietatem alterã habet. Cuius duplex genus eſt. Vnum eius quæ ex tertiana intermittente & cottidiana cõtinua componitur: quæ uel habet flauam bilem exuperãtiorem uel pauciorem uel æqualem pituitæ. Alterum genus eſt eius quæ ex tertiana continua & cottidiana intermittẽte componitur.

C.2.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE FOENICVLI.

CAPVT CXXIIII.



RAECI marathron, Latini fœniculum. Omnibus notum. Vrinam mouet cibo datum, lac prouocat. Ex eius thyrſis ſiue folijs ſuccus Sole præſiccatus acuit uiſum. Præterea ſemen eius in uirore conſtitutum cum ſuis uirgultis, itemq́ radix. Apud Hiberiam etiam ſuccum dimittit tempore quo floreſcit, admoto igne ex æſtu eius thyrſus ſuccum dimittit, qui præ cæteris melior probatur ad acuendum uiſum.

1 Ad tuſſim.

Herbæ fœniculi radicem tuſam in mero ieiunus bibat per diem nouem, ſanabitur.

2 Ad ueſicæ dolorem.

Herbæ fœniculi uiridis faſcem, & apij uiridis radicem, & aſparagi agreſtis radicem in pultarium nouum mittes, & aquæ ſextarium ut ſimul ferueant ad quartas, & ieiunus bibat per dies ſeptem uel plures, & balneo utatur, ita ut in frigidã non deſcendat, neq́ frigidam bibat, ueſicæ dolorem ſedat ſine mora.

COMMENTARII.



VXIMVS hoc caput etiã ex antiquis exemplaribus noſtris in hiſtoria ab ea parte quæ eſt, Apud Hiberiam, uſq; ad curationes. Hiberia autem proprie ea pars eſt Hiſpaniæ quæ intra Iberum fluuium continetur: licet generaliter pro Hiſpania accipiatur.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE ERIPHII.

CAPVT CXXV.


RAECI eriphion dicunt, Itali rutã agreſtem indigitãt. Naſcitur in Gallia in monte Soracti. Figuram habet apij, florem purpureum ſimilem naſturcio, ſeptem radicibus totidemq́ ramuſis aſperis minimisq́ irriguis, ipſa autẽ patula humo, omni florens tempore, ſemen habet tanquam faba.

1 Phthiſicis curandis.

Herba eriphion piſata & malagmatis inſtar impoſita, ſanat. Succum eius in potu dato, miraberis uirtutem eius.

COMMENTARII.


VALIS herba ſit eriphion, Apuleius ſatis deſcribit, eſtq́ agreſtis rutæ ſpecies. Nec plura de hac dicere habemus. Quod autem in prius impreſſo codice ſequit̃ de ſymphyto caput, nos tanquam ſuperfluens omiſimus: totum enim prius poſitum eſt ſupra cap. 59. de conſolida. Indigitant.) hoc eſt, digito quaſi monſtrantes, nominant.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE PETROSELINI.

CAPVT CXXVI.


RAECI petroſelinon, alij ſmyrnion, Latini apium ſyluaticũ. Naſcitur in petris, ſed eſt ſummum ac probabile Macedonicum, odoris boni, hoc eſt aromatici, ſapore dulce, urinam mouens, medetur uentoſitati ſtomachi atq́ coli & hijs ſimilibus.

1 Ad ſerpentium morſus.

Herbæ petroſelini puluerem molliſſimum pondere drachmæ unius ex uino potui dabis, & ipſam herbam

bam contritam plagæ impones, miraberis bonum effectum.

2 Ad neruorum dolorem.

Herba petroselinon trita & imposita neruorũ dolorem sedat.

COMMENTARII.



ETROSELINON idem est quod apium saxatile & petrapium: sic dictum quod in petris nascitur, aliud ab eo quod nostro tempore petroselinon dicit & apium est, ut diximus. Smyrnion.) Smyrnion dictum est à similitudine quadã herbæ quæ proprie smyrnion dicitur.

NOMINA ET VIRTVTES
BRASSICAE SYLVATICAE.
CAPVT CXXVII.



RAECI cramben, alij cynocharon, alij cynãchen, alij cynocramben nuncupant, Latini brassicam rusticam, & brassicam aliqui caninam, Punici butzutzim.

1 Ad tumores quoscunq;.

Herbæ brassicæ syluaticæ folia cum axungia uetere pisata, & commixta quasi malagma induces linteolo grosso aut in aluta, & impones, sanabitur.

2 Ad lateris dolorem.

Herbam brassicam syluaticam impones ut supra.

3 Ad podagram.

Herbam brassicam conficies ut supra. Quod si uetustissimus dolor fuerit, eo magis efficacior erit salus.

COMMENTARII.


RASSICA est quam caulem uocāt ob thyrsi & caulis sui magnitudinem. Cuius genus quodam Dioscorides etiā agreste & rusticum facit, satiuo simile, candidius tantum hirsutiusq́; & amarum, quod Græce Apuleius cramben & cynocramben, id est caninam brassicam uocari dicit. Aluta.) Aluta corium dicitur, quod ad calceos & alios usus præparatum est.

NOMINA ET VIRTVTES HERBAE BASILISCAE.

CAPVT CXXVIII.


ASILISCAM Græci, Latini regulam nuncupant. Hæc herba basilisca illis locis nascitur ubi fuerit serpens basiliscus. Non unum genus est eorum, sed genera sunt tria. Vnus enī est holochrysos capite aureo. Alius stellatus. Tertius sanguineus, ut miniū, & ipse capite aureo. Hos omnes hæc herba basilisca facile obtinet, si quis eam secū portauerit: sed nec uisa mala ei nocere possunt. Holochrysos autem, qui dicitur & chryseos, quod uiderit insufflat & incēdit. Stellatus autem, qui & chrysocephalos asteritis, hic quod uiderit, arescit & occidit. Tertius autem, qui & hæmatites & chrysocephalos, quod uiderit uel percusserit, defluet, ut ossa per se remaneant. Omnes uiolentias eorum hæc herba regula obtinet. Si quis homo eam secum habuerit, ab omnibus serpentium generibus erit tutus. Est autem herba talis similis † rutæ, folijs oblongioribus & angustis et asperis, nigrioribus, radix eius pedi ursi similis, lactem habens aurosum similem chelidoniæ, florem autem

alias salici.

autem † chrysococcum. Qui eam leget, sit mundus & circumscribat eam auro & argento, cornu ceruino, ebore, dente aprino, cornu taurino, & fruges mellitas in uestigio ponat. Hac utebatur Imperator Augustus. Stomachi dolorem compescit: neq; iecoris aut splenis, nec renum, nec cordis doloribus obnoxium esse sinit, neq; ischia, neq; spasmus, aut tussis, aut côli dolor, neq; hydrops eum tentabit: suspirium & pectoris dolores & lateris sedat, & serpentium morsus extenuat, spissos humores intra corpus & fel ruffum per uentrem & per urinam deducit, renes purgat, & qui uenena accipiũt, eos à periculo mortis liberat: & breuiter omni corpori quod ea usum fuerit, dat fortitudinem & sanitatem restituit, in quo aliud firmius nihil est.

† al. chrysocroceum.

COMMENTARII.

BASILISCA cuius interpretatio est regula, nomen habet à basilisco serpente, de quo Erasistratus, ut refert Dioscorides, hęc inquit, Cum momorderit basiliscus sufflauo & quasi aureo colore ictus fulget. Herba nobis ignota est, nec in usu aliquo. Cæterum quæ in fine capitis leguntur, scilicet, Hac utebatur Imperator &c. ea in altero exemplariorum nostrorum gentianæ, quæ basilica, id est regia herba dicitur, adscribuntur. Holochrysos.) id est totus aureus.

Obtinet.) id est, uincit & ipsorum nocumentis aduersatur resistitq;. Chryseos.) id est aureus. Chrysocephalus.) id est aureum caput habens. Asterites.) id est stellatus. Hæmatites.) id est sanguineus. Rutæ.) Hic alterum exemplar habet salici. Lactem.) id est succum & humorem.

FINIS.

[illegible]

[illegible] exemplar habet [illegible]
[illegible] Ethnicorum.

FINIS.

IN HERBARIOS ANT. MVSAE ET L. APVLEI LIB. II.

INDEX.



Clino

Diocallia

Galli

G

H

Q

R

Scylli-

Tana-

Vrit

FINIS.

Pagina 5. lege icterricos, pro ietericos. Pag. 12. lege ἐμπυήματα pro ἐμπνήματα. Pag. 59. lege echidnion pro echidinon.